
PETRI PASINI

ADRIADES

VENETIIS
TYPIS FRATR. VISENTINI
IV ID. MAI. MDCCCXCVII



PETRI PASINII

ADRIADES

VENETIIS
TYPIS FRATR. VISENTINI
IV ID. MAJ MDCCCXCVII

Petrus Iohannes Maria Pasini, Iohannis filius ex Cornelia Pezzolli, natus est Venetiis die XV Maii a. MDCCLXXIX in paroecia, quae tum erat ad S. Moysis. XXIII annos natus sacerdos adscriptus est ecclesiae eiusdem paroeciae pauloque post litterarum Latinarum in Gymnasio ad S. Proculi praeceptor electus. Civium omnium laudem adeptus ita est, ut a. MDCCCVII Litterarum Academiae Venetae, itemque Sophronomorum sodalis cooptatus, et a. MDCCCXXII Veneti Athenaei bibliothecae praefectus sit. Nec minore floruit integritate quam diligentia; cuius rei, ut verum dicamus, amarum fructum percepit. Quum enim summi Securitatis urbanae Moderatoris Venetiarum filio cuidam secundas, non primas, tribuisset, multis undique ac saepe frustra hortantibus potentium amicis, factum est, ut illico Patavium se transferre iussus sit. Quae studiorum sedes homine studioso doctoque dignissima quidem erat; sed acerbum cepit dolorem desiderio suorum, quos penitus diligebat, ut litterae eius testantur et nepotum memoria, quorum unus etiamnum superest. Patavii quoque civium et animos in se convertit et amorem laudemque sibi conciliavit; carmen XIV versuum a discipulis ad eum missum ostendit in eo

doctrinam, modestiam, bonitatem suavi quadam conspiratione fuisse coniunctas. A. MDCCCXXXI Academia Doctrinarum Litterarum et Artium Patavina eum sodalem adscivit, ut nunc dicunt, correspondentem; *neque defuerunt ei honores in patria civitate. Quum enim docendi munere XXX annos functus publice aleretur, et ad propinquos rediisset, ut extremis vitae annis quiete frueretur, a. MDCCCXL Casuum Congregationi ad S.ti Salvatoris praefectus est; a. MDCCCXLIV Infantium Asyli ad S.ti Samuelis Inspector est electus; a. denique MDCCCXLVII Italis Viris Doctis est adscriptus qui ad Nonam Congressionem Venetias convenerunt. Annos LXXI natus ex oculorum suffusione coepit laborare: quo, ut lento, ita insanabili morbo caecitate et animi aegritudine affectus est. Nec poterat sane vir doctus, cui optimarum artium studia in deliciis fuerant, calamitosum illud otium non aegerrime ferre. Itaque diem obiit supremum XV Septembris a. MDCCCLIII a propinquis necessariis omnibus, qui eum norant, defletus, herede relicto, quum exiguae rei familiaris tum doctrinae atque virtutis, nepote suo Antonio Pasinio, sacerdote, qui nobis septem abhinc annis fato ereptus est. Petrus Pasinius non modo doctus et strenuus fuit praeceptor, sed Venetiarum civis patriae nostrae et eius rerum memoriae admiratione studioque praeditus singulari. Liber id testatur, qui* Fasti Venetorum *inscribitur, a. MDCCCXLI typis Fontanianis (in 2 XXX cum tabulis in aes cyprium incisis) expressus. Annorum XVIII aetate a. MDCCXCVII testis fuit et spectator civium suorum meracae libertatis studio in populari re publica tripudiis exsultantium; quibus, quem ad modum affectus sit, versus narrent poëmatis huius, quod legentibus proponendum curamus. Sed iam sermone cedamus poëtae ipsi, quo nos minores multo sentimus esse, quam ut vel pauca verba explicandi causa addenda esse putemus.*

Fratres De Roni e Venetiis
auctoris pronepotes

ERRATA			CORRIGE
Pag.	Lin.		
13	10	posens	potens
»	16	caepit	coepit
17	6	veueno	veneno
»	7	trucinm	trucium
»	9	tnnc	tunc
»	17	conduserat	concluserat
18	»	lacrymiques	lacrymisque
»	ult.	peste	peste.
21	8	possuut	possunt
23	14	uuquam	unquam
24	3	sequentio	sequentur
26	11 ult.	Donac	Donec
31	4	tameu	tamen
73	22	dedissi	dedisti
75	1	Consistum	Consistunt
94	3 ult.	Eplscopus	Episcopus
97	16	Sict	Sic
103	9 ult.	Domlnus	Dominus
110	18	fluctuas	fluctuat
115	2	Grassas	Crassas
»	10	minuntur	minantur
117	9	omes	omnes
»	8 ult.	fragens	frangens
119	10	quocumbue	quocumque
121	22	ulcissentibus	ulciscentibus

PATRIAE SVAE

CHARISSIMAE

PETRVS PASINI VEN.

HOC SVVM OPVS

D.

PROOEMIVM

TANTVS me in dilectissimae Patriae nefando casu dolor afflixit, licet primis ab annis degeneratam imperii dulcedinem degustassem; ut quae quantaque mea patria fuerat, memorans, lacrymas oculis oborientes cohibere saepius vix poteram. Augebat quoque doloris molestiam virtutis oppressio, criminumque omnium debacchantium impunitas, sapientum civium effusus pallor, bonorumque, malis aperto ostio ingruentibus, fremitus: dolebamque, quod imperium tantum avorum virtute contra tot acerbas, durasque procellas saepe saepius jampridem suffultum, et ab imminenti interitu liberatum, avaritia insolenti, turpi inscitia rerum, degenerique morum priscorum mutatione ruisset. Nam quippe aliqui patrum sibi praediisque suis foeda latronum ingluvie obsessis consulere putantes: turpique ignorantia obliti aliqui obstandi dolis falsa amicitia velatis scium animum praeseferre timentes: aliqui denique naturae, populi sibi commissi, suaque jura Gallico dolo, perfidieque tabidi, turpiterque fluentes conculcando, absurda, quam nullus excusabit unquam, pravitate magnum, antiquumque, et illustre Imperium nullo conatu, nullo consilio, nulla defensione fulciendum corruere passi sunt. Quis igitur veniens in aevum nobilium posterorum istis non succensurus erit, dirisque justis luridos istorum avorum manes pia impietate concitus

2

PETRI PASINII

ADRIADES

VENETIIS
TYPIS FRATR. VISENTINI
IV ID. MAJ MDCCCXCVII

Caeca Patrum tenuit nimium praecordia : narrem
Quae fuerit Venetis quoque desperatio vecors,
Cum terror foede concussit corda dolosus.
Eloquar, at radiatus amanti Numine Vates,
Historiamque omnem sincero carmine dicam.
Sin minus, ex oculis lacrymas perfundet amaras
Triste mihi cor, et os disperdet inania verba
Montibus, et surdis, obscura cacumina, saxis,
Et dolor interea moesta renovabitur Echo.
Nunc opus aggredior, Juvenis dulcissime, nostris
Tu mentem, atque animum, et praebe quoque vocibus
Et juvet annales nostrorum audire malorum. aurem,
Gallica gens nuper regali sanguine foeda
Jus sceleri dederat perfundens arva cruore
Immerito, meritoque simul : nec sanguine fusi
Sufficiunt Rhodani fluctus, fluctusque Garumnae
Ad potum : at rabido plusquam civilia corde
Bella micat fervens totum miscere per orbem.
Erupit Bonapars, genuit quem Corsica tellus,
Monstrum immane, ingens : genuit quo immanius ullum
Terra ferox usquam : credas Phlegetonte repulsum.
Corpore parvus erat, mentis sed acumine pravus :
Insignis versare dolos, versare rapinas,
Legifragus, variansque fidem pro tempore sacram,
Se colit, et tumido prodentes pectore spernit.
Arrogat ipse sibi gentis bacchantis inique
Imperium, atque magis succendit pectora verbis :
O socii, merita clausit modo lumina morte,
Qui laqueo vosmet vili perstrinxerat usque.
Vos caput illius fortes truncastis acerbum,
Libera perque manus captiva Lutetia vestras
Laeta dies coepit vitae cognoscere faustos.
Reddit et immensas grates, et laudis honores
Decernit : superest major sed gloria vobis.
Conspicuum facinus, gratumque opus omnibus optant
Nunc populi saeva crudaque tyrannide flentes.

Contigit Italiam petere, et confracta potentum
Lora tyrannorum certe meminisse juvabit.
Spernite tot casus, discrimina spernite rerum :
Nomen ibi fas est vestrum pertollere in astra.
Huc fortuna vocat, spondetque ingentia vobis.
Aggrediamur opus, demittamusque timores.
Talia voce refert, animusque in pectore fervet
Cunctis, et torvos hilarabant gaudia vultus.
Agmine collecto, atro et adhuc aspersa cruore,
Liberet utque homines, confringaturque potestas
Dura tyrannorum (Reges hoc nomine censet),
Tunc operi se accingit gens malesana minaci.
Sunt superandae Alpes, horrenda cacumina, quasque
Sic posuit Natura, ut propugnacula nobis
Firma forent, rabies Italos ne Gallica laedat,
Et ne barbaricos ritus, moresque feroces
Sacrorum Druidae Ausoniis meditentur in arvis.
Ast eheu ! frustra montes congesserat albos
Nivibus assiduis Natura : potentius acer
Contrivit, stravitque sibi Gallisque priores
Ipse vias Poenus, repetendaque pabula pandit.
Scilicet ipsa furens ferratis utitur uncis,
Et manibus pedibusque viam per inhospita saxa
Sternit, et in Latium Harpyiarum turba redundat.
Atque erat ipsa parens scelerum foecunda novorum,
Pravaque per nostras diffundens semina terras.
Semina sunt voces, quae promptis auribus haustae
Et victum, atque viros Gallis, atque arma ministrant.
Libertatis ego en sum vobis Gallia vindex,
Vosque, Itali, pudeat tandem servire tyrannis.
Namque pares Natura facit nos optima mater.
Cur pauci multis ? cur omnibus imperat unus ?
Ah totus populus, populusque sibi imperat ipsi.
Currit ad has voces, nec parvula turba Italorum,
Consiliique mali consors fit, sumit et arma.
Qualis ad oblatum infans currit, et emicat ardens

Pomum, frustra illius matre inhibente lacertos.
Constitit inde ingens exercitus. Arma ruebant
Per fora perque vias faustam suadentia sortem
Italiae populis ex Libertatis acerbo,
Quem pretio voluit magno committere, fructu.
Sicque favo dantur circum respersa suavi
Pocula, quae lethali sunt commixta veneno.
Italia infelix tetro dignissima luctu!
Clamabas frustra sortis praesaga futurae,
Quae praeceps currebat in atra pericula, turbae:
Quis furor, o cives? quae tanta licentia passa est,
Gentibus invisis Italum prostare decorem?
Nulla fides Gallis, quamvis tibi dona ferentes:
Namque haec insidiosa tibi. Gustaveris illa?
Mulcentur nulla illusae dulcedine fauces.
Altera pestis erit, nec erit spes ulla medendi.
Heu nimis infelix! Clamabat inaniter illa.
Nam fera Tisiphone furiis agitata nefandis,
Cui quot luxuriant crines, tot concutit angues
Terribili cervice, quibus sunt nomina mille,
Mille nocendi artes, mille et spectacula formae,
Tunc tota complexa manu de crinibus hydros
Vellit Gorgoneis infectos terga venenis,
Agmen et horrificum rabie conjecit in orbem.
Partis amor procumbit humi in matresque, patresque,
Inque domos reptans immitis fulmina belli
Per fas atque nefas circum vomit ore cruento;
Quot squamae, totidem gladii, crudelis et hostis
Usque sibi: celeri contemnens numina lapsu
Impietas venit, contactu et pectora foedat,
Vestibus et fictis virtutis Hypocrisis audet
Tecta meare viam: socius comitatur euntem
Veste Dolus, similique pede: Ignorantia lippis
Luminibus sequitur, nec non cervicibus altis:
Exitiale Odium, et Livor turgentia quassant
Pectora, pallescensque Furor jam lubricus errat;

Hinc Metus. et malesuada Fames, et turpis Egestas,
Terribiles angues visu : immatura Senectus,
Et Dolor, atque Labor imbellia membra retorquent :
Quilibet effundens tabum longo ordine serpit,
Sensibus innumeros atque ossibus implicat ignes,
Est quocumque lues vario sublapsa veueno.
Hinc rabies trucinm Gallorum saevit ubique.
Saevit et atra fames opibus satianda Latinis.
Nam tnnc, cum gens haec rigidas superaverat Alpes,
Terribilem visu probrosa premebat egestas.
Hirta coma, arentes fauces, et pallor in ore,
Vestis et obscaenum lacerata retexerat inguen.
Alter erat ferro, igniferis instructus et armis
Alter erat paucis, baculo munitus et alter.
Turpibus haec constat bacchans plebecula mimis,
Cosmetis, cauponibus, aurigis, famulisque,
Vel quos promeritos carcer conduserat horrens,
Legibus offensis, sontesve inhonesta triremis.
Tristius haud illis monstrum, Harpyiasque putares,
Quas obscaena fames compellit, turpis et ira,
Et quae ad nos quatiunt foedas clangoribus alas,
Vt rapiant escas, contactuque omnia foedant.
Quodvis turba nefas meditatur, ne quid inausum,
Aut intentatum scelerisve dolive fuisset.
Irruit in populos, caedes et damna minatur,
Sub libertatis specie, quae pectora mulcet.
Convertas quocumque, nihil nisi plurima mortis
Sese oculis fert, libertates pignora, tetrae
Vndique imago tuis. Reges e sedibus altis
Abreptum pulsi sceptrum et diademata plorant.
Expoliant populos indicta tributa licenter,
Furta domos populantur, opes, aeraria, templa.
Abductas sibi pastor oves, sibi aratra colonus
Deflet, et ereptos sibi rustica turba juvencos.
Sic veluti torrens undis pluvialibus auctus,
Ripasque indignans flavos perfunditur agros :

It mare praeruptum late, tunc omnia ripis
Diruta frondiferis arbusta natant, modo sylvas
Praecipitesque trahit, pecudes modo strangulat undis,
Sternit agros, sternit sata flava, boumque labores.
Vndique conclamat fletusque dolorque colonûm.
Interea Omnipotens in nos sua lumina vertit,
Defixitque : videt nostrorum crimina Patrum,
Cernit et immemores quoque Relligionis avitae :
Atque hinc pulsa fides, atque hinc venalia jura.
Cernit et in ludis, turpique libidine captos,
Cernit et haud cura Regimen servarier ulla.
Vlciscar, clamat Deus alto e vertice coelis
Hostibus exque meis poenis vexabitur hostis.
Sum Deus Omnipotens, per me regesque potentes
Imperitant, lubitoque meo stant regna, caduntque.
Talia voce refert : affligitur ultio fatis.
Ast moerens, lacrymiques oculos suffusa nitentes
Alloquitur Numen Virgo Sanctissima coeli :
Parce, precor, Rex, qui poenis, et fulmine terres
Improba corda hominum, lacrymans si talia fabor :
Sunt tua progenies Veneti, quae multa per aeva
Fulta patrocinio terras atque aequora rexit.
Ipsa diu fuerat cultrix ab origine prima
Virtutum, atque aluit generoso pectore honestum,
Semper et incoctum quoque Relligionis amorem.
Hac ope concrevit, celsis virtutibus intus
Seque regens, nostras pia thura adolebat ad aras.
Libertatis armans enervat fortiter omnes,
Qui tentant collo funes aptare venusto.
Auxiliata tuo Respublica Numine fortis
Floruit, et magno reges in honore tenebant.
Nunc statuis casum ? quae te sententia cogit ?
Si quid habent Veneti in te criminis, utere poenis
Ipse tuum rapidum jacula de nubibus ignem :
Perversos exure homines, et in aequore merces
Submerge, et poenas dent bello, aut percute peste

Vsus es his toties poenis : quid et impedit unquam,
Vt meritos aeque similis vindicta fatiget ?
Quid meus in te Pisaurus committere tanti,
Quid Justus potuit, quid Justinianus, et illi
Insignes pietate Viri, qui numina poscunt
Nunc tua, ne statuas regnis imponere finem ?
At Pater Omnipotens vultu, quo cuncta gubernat,
Oscula libavit Divae, dehinc talia fatur :
Haud ignota tibi series oblonga malorum,
Quam sibi criminibus Veneti meruere nefandis.
Ipse ego, demoveam ut curvo de tramite pronos,
Nec mihi cervicem renuant curvare superbam,
Vt pateat Lusitanis frons Africa, crevi :
Quo fluerent vires, et damnum mercibus inde
Quippe foret magnum : nam mercatura fodina
Ditior Imperiis est : tellus foeta metallis,
Nilque valent vires, quin sint commercia terris.
Ipse ego cor movi Regum, indulsique superbum
Hunc populum late regem vexarier armis,
Quaeque acuunt icto Cameraci foedere gentes.
Imminet excidium : vim vi depellere tentat :
Perdere non volui : Respublica perdidit urbes,
Perdidit et portus, fuerant qui mercibus apti.
Ipse quoque Odrysios movi, bellumque rapaces
Saepe movent duris fatale : potentibus armis
Ipse dedi Cretam, Peloponesumque, Cyprumque,
Euboeamque, omnemque Aegaeum quae insula pontum
Occupat, et toties diri contagia morbi,
Aere corrupto, tamquam prosternere messes
Falx solet in campis, cives sic morte metebant.
Cuncta sed incassum, seque in nova crimina volvit,
Et negat illa meis, retinent qui sydera, Sanctis
Festa, mihi meritos etiam detrectat honores.
Ejicit atque locis, qui grata per otia laudes,
Atque preces nostrum nectunt ad Numen : et audens
Expoliat miseros opibus, quas sacra dicarat

Relligio veterum, premeret ne turpis egestas.
Imperium ergo suum perdat non digna regendi:
Et quoniam poenam meruit, scelera ipsa nefasque
Hac mercede luat: nobis sic annue Virgo.
Talia voce refert aeterno Immobilis aevo.
Ast, Pater o clemens, saltem de caedibus Vrbem
Eripe, ait, longo nobis tam tempore charam.
Et quae virgines dudum radiavit honore,
Sanguine ne videat foedos moestissima postes,
Te precor, atque vias: manet hoc in mente repostum.
Cui Pater, aeternis sua qui regit omnia dictis:
Fiat, ait, quod aves: tantum spoliata decore
Exigat obscurum depressa tyrannide tempus,
Donec mensuram Bonapars compleverit ater,
Atque meam perculsa superbia abegerit iram.
Post certas hyemes Venetam miraberis Vrbem
Imperio gaudere bono, cum Anglus honestus
Illius in eadem reges acciverit omnes.
Interea mentes denso velamine condam,
Permittamque malos homines devendere Gallis
Argento Patriam, insidiisque dolisque Senatum
Concilium et Magnum falsis percellere verbis.
Haec ait, et scitum coelestis Numinis altum
Virgum decus coeli laudat, Divique celèbrant,
Angelicae voces, cytharae quoque, et organa plaudunt.
Vae miseris, nisi tanta forent tutamina nobis!
Jam flueret multo nobis ex vulnere sanguis,
Sanguine cuncta forent perfusa, domusque, viaeque:
Sanguis et innocuo tumidus percurreret amne
Vitata est caedes heu! non vitata ruina est.
Ne tibi displiceat narratio dira malorum,
Adria queis cecidit nec casu pressa, nec armis:
Quin mecum obstupeas, et currat frigidus horror
Ossa per ima, tuae cum se ferat obvia menti
Gallica falsa fides, vitandorumque nefanda
Impietas Patrum, qui decepere scelesti

Turpiter haerentes Gallorum moribus Vrbem.
Quis dabit innumeras linguas, et pectus ahenum,
Quo magnam fas sit concusso emittere coelo
Vocem, pravorum claudant ne oblivia nomen,
Dedecus et dicam nullis delebile saeclis?
Nam quid, dum miseros spreta virtute lacessunt
Monstra scelesta hominum tantum simulantia formam,
Quid celebres probitate viri deposcere possuut,
Ni saltem ut restent, justae pellentibus irae
Fluctibus, haec animis luctu solamina pressis?
Fas odisse viros vulgato nomine pravos,
Vt caveat, labem ne contrahat integer ullam,
Atque magis tribuendus honos, cultusque pudicae
Justitiae niteat dubio non lumine clarus.
Forsitan exquires cur tanta insania mentem
Laeserit illorum, patriam qui perdere vellent?
Quomodo et Hesperiae populos superaverit omnes
Impia gens rapide, haudque obices invenerit ullos,
Qui firmi possent undas arcere minaces?
Nonne, Itali, timuit quondam quos orbis, iidem?
Italia excors! ceu nondum satiata fuisses
Opprobrio, Eridani saeclis cum armenta biberunt
Gallica aquas rudibus; victrix, seu victa decorem
Cur optas vili, meretrix ut foeda, vetustum
Servitio foedare homines blandita scelestos?
An latet infamis temet tenebrosaque secta,
Quae coementandis desumit nomina muris,
Quamque foves oculos segni perfusa veterno?
Huic est infandum facinus delere per orbem
Relligionis opus gratum et spectabile Christi,
Sceptraque cunctorum pedibus confringere regum,
Altius et Libertati aedem extollere sacram,
Quae tibi servitium durum immiserata parabit
Artificum hinc instrumentorum aenigmata solvas.
Impia secta haec, quae totum diffusa per orbem
Singula secreto secum communicat acta:

Conciliumque suum jam singula ubique coibat
Tempore nocturno, ne ullis arcana paterent
Dogmata, nota illis, quos sacramenta sinebant.
Haec tamen haud poterant plane cognoscere cuncti,
Sed modo qui primas: triplex distinguitur ordo,
Quamvis nulla forent ipsis discrimina sortis.
Horrescunt aulae pallenti emblemate circum,
Squallor ubique jacet, luctusque, et mortis imago.
Cuncta videbantur collegae recta, subibat
Cum primos aditus ad tot miracula parvus,
Cujus vera fides multa ratione probatur.
Innocuosque viros operis velamine recti
In sua jura trahunt, certantque illudere menti.
Forsitan haec fuerat, cum prima exordia sumpsit,
Secta aequi custos, aequum mirataque finem.
Ast a proposito post intervalla recedens
Longa nimis, sese tandem in contraria vertit,
Et fovet interno erupturam pectore flammam,
Cardine qua moto totus miscebitur orbis.
Adria caeca sua perlongo tempore terra
Congressum tulit istorum, tandemque revisens,
Excutiensque oculos spissa caligine clausos
Hoc hominum vetuit genus adventare nefanda
Concilia, atque palam libros, emblemata flammis
Supposuit: tamen haud potuit vitare ruinam.
Nam genus hoc hominum poenas non sanguine solvit.
Quid prodest ignis, totam nisi caedis echidnam?
Jam caput abscissum renovato vertice surget.
Sume facem, gladiumque, Leo. Tyrinthius heros
Lernaeam intrepidus ferro et face contudit hydram.
Scilicet eruptura statim probrosa remansit
Impietas, pectus quae dispertitur in omne,
Quaeque suam jungit secreto foedere mentem,
Cumque aliis iterum sectis communicat atra.
Qualis ubi coluber tumidus per membra secatur,
Plurima membra tenent saniem, tetrumque venenum:

Elabuntur humi, atque per intervalla moventur
Longa nimis, vitamque trahunt, anguesque putares.
O utinam tales homines tunc fata vorassent,
Aut illos saltem, cordis quos prava cupido
Traxit adire nefas, vel quos moderamina rerum,
Jusque penes fuerant Venetum, legesque sacratae!
Adria, si istorum crudelis colla dedisses
Lictorum ferro: si nunc, quae Sarpius ille
Te quondam docuit, sprevisses dogmata fortis,
Adria nunc stares, maris et Regina maneres
Forsitan esse potest, quod tanta insania mentem
Sic hominis laedat, proprios ut spernat honores,
Pro domino servus fiat, pro rege subactus
Sponte sua, studioque levi? quis crederet uuquam?
Nil mirum, Juvenis: namque hoc in tempore morem
Prorsus cuncta novum cernes sumpsisse, modumque.
Neve putes omnes corrupta mente ruisse,
Gallisque haerentes: poterat res nostra salutem
Ex illis sperare viris, queis pectora firmo
Fervebant animo, patriae vitamque vovissent.
Sed quid, si superant infensis cordibus hostes?
Hos demas, alios perfracto more videbis
Per scelus atque nefas, dedignantesque pudorem
Longius exemplis proavorum abscedere honestis.
Aspice quot fessos teneant somnoque gravatos,
Lis dum agitur, defensores subsellia legum
Lis tamen est anceps, ista sub judice lis est.
Stertit, et infelix stat sors, vel fausta clientum
Caussidicus linguis favet: expergiscitur ille,
Murmure mox facto: dubius suffragia credit.
Quod genus hoc juris reddendi? dicite, turpes
Jam scio, quod tenuit te damnosa alea pernox,
Cumque aliis suadent labentia sydera somnos,
Tunc versaris, ubi clam expletur foeda voluptas,
Quam lasciva tibi Phrynes praefudit in ossa.
Inque dies vertis noctes. Te quid juvat uxor,

Quid te conjugium, cum sis defessus adulter?
Forsitan haec spernent juvenes ad publica natos,
Quive iniere recens regimen? exempla sequentio:
Nam mala corrūpunt exempla domestica natos.
Hinc etiam videas in maxima crimina labi.
Nobilis et juvenis non dignus sorte putatur,
Ni tenero consors exempla sequatur ab ungue.
Cumque aetas primum fervet crescentibus annis,
Pallidus, emunctus, turpique libidine nutans
Confugit ad scortum, sitve Hippia, sitve Catulla.
Anxius inde petit spectacula magna theatri,
Illic et dominas vitro circumspicit omnes,
Si qua sibi ardores valeat stimulare salaces.
Postea et immiscet revolutas arte choreas
Nocte sub extrema, et dominas remoratur ovantes.
Inde domum repetit, terras cum Phoebus inaurat,
Lassaque compositus placido sua membra cubili
Surgit, cum medio Sol est altissimus orbe.
Sive vocent leges subsellia sancta daturum,
Seu laesis statuenda sient hoc judice jura,
Saepius a somno mentemque oculosque gravatum
Tu cernis noctis lassam spumare palaestram.
Hiccine suscipitur regnis? veteresne per istas
Stultitias fuerant juvenes impune vagati,
Qui nostro imperio fastigia summa dedere?
Heu non his certe genitoribus orta juventus
Bistonio Aegaeum quondam mare sanguine tinxit,
Scaligerum, Vlricum, Syrios, Graecosque cecidit.
Mascula sed proles durabat corpora anhelans
Per ludum assiduis remis per litora circum,
Venandi aut studiis, simulans vel bella, valentes
Fecerat assuescens ad proelia vera lacertos.
Quomodo verterunt in pejus tempora mores!
Quid non fert delapsa dies! nunc ebibit iste
Composito ex libris pravae nova dogmata vitae
Otia nam curas forsan si grata remittant,

Lectitat ille libros, nobis quos Gallia misit,
Dogmata vel celebrat, quae Mirabellus, et acer
Russous jactavit, vel quae Volterius audet,
Quosque mali rite agnoscit, scelerisque magistros.
Intereaque magis vitiat cor haustibus ipse.
Ah nimium caeci, o Vos, qui pertingere nostra
Litora demissos libros ex Alpibus estis
Perpessi, jactantur ubi impia dogmata natis,
A quibus edocti crimen rapiuntur in omne.
Atque hinc philosophantur, iniquaque dogmata censent
Relligione super Christi, quam despicit ipse
Patricius juvenis, pariterque senex: sine lege
Per fora perque vias vitium, luxusque vagatur,
Templa profanantur spreta, et spoliata queruntur.
Mancipium est, qui alias nescit curare, Sacerdos,
Quemque bonis privavit lex malesana futuris.
Credite, corrupti mores cito damna minantur:
Credite, luxuria infestis est saevior armis,
Atque adversa homines infanda ob crimina tangunt.
Audio vos iterum nobis iterumque profari,
Quod satis Vrbs annosa esset: nam saecula ferme
Bis septem numerat: lapsuram fata volebant.
O nimium miseri! quaeso, cui verba? quid istas
Ambages canitis? longo non labitur aevo
Quodlibet Imperium: at rodentia crimina solvunt,
Estur ut occulta corrosa teredine puppis.
Insuper hic spernit juvenis de gente togata
Mittere mercator longinqua per aequora merces,
Vnde prius fuerat Venetis opulentia felix,
Atque laborat opes totus profundere largas,
Quamvis non istos proavus statuisset in usus.
Has populantur opes ludi, convivia, luxus,
Donec ferrata nummus suspiret in arca.
O miser, inque dies miser! huccine prodita rerum
Sunt summa? anne vides tibi quod jam luditur, amens?
Divitiae certe populis immane videntur

Pondus et exitium: nam pronis cordibus atrum
Persuadent vitium, atque homo, quamvis anxius optet,
Quin sciat, immodico nummorum illudit amori.
Nam quo plus est, plus vitiis profunditur aurum.
Quid juvat et regimen, si vos torpetis inertes?
Quid juvat et judex, si impunia crimina fastum
Ambitiosa ferunt, culpae secura nec ullum
Vltorem metuunt praetorum numine fulta?
Hinc vano trepidantes ad solia alta susurro
Et querulas voces, luctus, suspiria, vota
Ingeminant miseri pravorum fraude subacti.
Vtilitatis habent homines moderamine legum,
Imperiique quidem: sed adhuc sub judice lis est,
An quod ab imperio mortales utile captant,
Æquiparare queat damnum, quod fertur in illos,
Cum proceres, quorum curae est suprema potestas,
Ambitio rapiunt, vitium, atque incuria rerum.
Itur in omne nefas: procerum atque exempla sequuntur
Aulicus infidus, dives, plebecula vilis.
Quaenam progenies nobis speranda, parentum
Ætas pejor avis si nos produxit iniquos?
Haec erat, o Juvenis, Veneta lacrymabilis Vrbis
Conditio, Italiaeque simul. Quis talia fando
Temperat a fletu? non ira, nec arma fuere
Gallorum, patriam quae subvertere vetustam.
Donac erit virtus, erit et sors prospera Regnis,
Sed totidem poenae, quod erunt mala crimina Regum.
Nec vos, o Reges, castellis fidite ahenis:
Nil refert, miseris quot vectigalia possint
Civibus emungi, terramque onerare trementem
Militibus, ducibusque Medusaea aegide firmis:
Ludius est miles, ceditque ducum inclyta virtus
Contra Æquum occulta virtute potentius armis.
Omnipotens Æquo favet: et modo Numen ab alto
Decernit Judex poenas, modo praemia justus.
Attica nunc stares forsan celeberrima terra,

Bellua nec catulos exesis turribus illic
Occuleret, nisi, despecta gravitate Pericles
Emollire putans mores, corrumperet inde
Forsitan et stares, semper si jura Lycurgi
Sedula servasses, quamvis sint aspera, Sparte:
Tuque potens, victum septem quae ex collibus orbem
Spectabas, Roma, elata tibi fronte tumescens
Heu! libertatem subito lacrymaris amatam,
Cum pravos rapuit furiosa licentia cives,
Ambitionis amor, nummorum et sacra cupido,
Et mens irrepsit vanas juvenilis in artes,
Carpere delicias audax, spectacula, fastus,
Luxurias turpes, vetulos et spernere sanos.
Concidit Imperium vitiis rodentibus altum.
Adria erat vitiis jamjam lapsura vetustis,
Debilitata labat, Gallorum et concidit ictu.
Qualis, quem morbus vehemens oppresserit, aeger,
Cum lectum linquit, genua et mox curva vacillant,
Invalidaeque suo languent in corpore vires.
Decidit in terram, si illum levis urgeat ictus.
Tempore jam ex illo, quo Œnotria coeperat esse
Obvia Gallorum furiis, queis perdere nostram
Stat Patriam, revocant animos, viresque tacentes.
Hos inter Julianus Eques de gente togata
Opprobriis, odiis quoque tot per saecula dignus
Tentat adire Bonaepartis tentoria saevi.
Jamque venit patrios oblitus pectore sensus:
Hunc Bonapars ulnis expansis excipit, atque
Jucundo vultu, dictisque ita fatur amicis:
Vnde venis? quid te huc traxit, dulcissime nobis?
Expectate veni: hinc successu prospera credam,
Te veniente, mihi felici fata: recordor,
Te quoties vidi, nobis risisse Minervam,
Et laetis Martem nosmet cumulasse triumphis.
Nunc ego committo magnum cum Caesare bellum,
Illius et populos a duro solvere fraeno

Incipio, libertatemque offerre beatam
Postea et in Venetos convertam oculosque, manusque
Adria per nostras jucunda sorte fruetur.
Scito quod immensos nummorum fundere acervos
Aggredior Venetis, res ut mihi prospera cedat.
Est auro tentanda fides: namque omnia fulvo
Procumbunt auro: nec turris ahenea clausam,
Robustaeque fores Danaen tenuere, nec acres
Excubiae, dentesque canum, ne Jupiter imbrem
Versus in auratum donis frueretur amatis.
Quis negat in medios aurum penetrare ministros,
Ire per arma, potens ictu et perfringere saxa
Fulmineo? et quaenam scopulis licet obsita rupes
Non patet, auratum gestet cum pondus asellus?
Hinc ego jam vincam, licet insuperabilis armis
Vrbs foret undoso pelagi circumdata vallo.
Hoc datur atque tibi: scio quod tibi pectus amore
Corripitur nostri, quod te fastidit amicos
Flere tyrannorum populos in vincla subactos
Amissam libertatem. Cumularis honore,
Si bene succedit: magnos tibi praebeo nummos,
Divitiasque tibi, largus meritisque rependam.
Haec ait, eludens fraudis de corde favillas
Dulcibus at verbis: sic et scintilla camino
Eruta confestim tenui restinguitur aura,
Intus sed trepidas flammas, et contegit ignem.
E contra Julianus ait: Persolvere grates
Fas prius est: comis verborum copia suadet.
Nunc tibi vera feram: non me donum excitat auri,
Non me divitiae: non quaevis praemia possent
Æquiparare meum, quo te contemplor, honorem.
Semper amica mihi gens Gallica, semper amicus
Quilibet est dignus memori celebrarier aevo.
Tu dux armipotens, et mentis acumine magnae,
Tuque salus Italis Venetorum respice duram
Fortunam (teneor patriae mage legibus ipse),

Et multis solare malis. Respublica nulla est
Eheu! temporibus longe diversa vetustis
Sunt tres majestate Viri, quorum ampla potestas
Inquirit laesi vigilans in crimina regni
Centum oculis, centumque ferens ad vincula dextras:
Horret visceribus terrae sine lumine carcer
Squallidus, et stillans putentibus undique guttis.
Nullus ibi est aer, nisi crassus ducitur ore.
Hi durum exercent regimen, qui semper iidem:
Pallet et ad nomen trepida formidine civis
Vel magis innocuus: tenuis suspicio praebet
Argumenta necis, quin sit defensio vinctis.
Dicite vos, funes, undae, cultrique nefandi,
Quot miseri cecidere infelix hostia vobis!
O nos felices, rapuit quos Sarpius illis
Carnificum ex manibus, rapuitque a caede cruoris!
Sed quidnam retulit? furor istorum altera tentat
Supplicia in nosmet: jam carcer squallidus exstat,
Longumve exsilium, aut prorsus privamur adire
Concilia, atque magistratus per tempora vitae.
Exulat e patria, tenet et custodia tristis
Pisanum, quamvis patriae cumulatus honore
Fulserit eximio, cujus mens provida vidit,
Quae Venetum regimen secum modo damna fovebat.
Ipse loquebatur facundo pectore vera,
Illosque adscribi Patrum suadebat in albo,
Quos retinent urbes, et quorum illustris origo,
Atque vices studuit vigilans componere tantas.
Fas odisse viros: subito damnatur amicus
Zelotypus recti, strictaque in turre locatur.
Patriciis, crede, omnino est exosa potestas,
Quos premit imperio, et saevo terrore gravatos.
Tu modo, tu venias, miseros et solve, precamur:
Prospera res cedet, vario non fluctuet aestu
Mens tibi, fide mihi, sum nunc in utrumque paratus,
Seu ulcisci socios, seu certa occurrere poenae.

Jamque tenet nostram fidus Battaia mentem,
Delphinus, Donatusque, et Superantius: arctam
Ruzzinusque fidem vere juravit, et omnem
Vindictam: Valaressus idem, et Rainerius ardet.
Justinianus armat Gallos, Grimanus, et ille
Hermolaus Pisanorum de gente creatus,
Qui modo pro patria legati munere functus
Degit apud Gallos, dum regna extrema manebant
Borbonum. Hos eadem cogit sententia junctos
Quippe omnes. Equidem stimulavi corda Senatus,
Neutram servaret vestro in certamine partem.
Amplius eloquio studui, ut sine milite et armis
Vrbes desereret fidens sua pectora Gallis,
Qui Venetos tegerent fines et jura Senatus.
Actum est de Venetis: tu vinci nescius armis
In nostram venies urbem, plectesque superbos
Patres, tresque Viros, quique implacabile Gallis
Conjurant odium, et poenas dent sanguine dignas.
Ne dubium, Bonapars, pectus tibi torqueat unquam;
A nobis etenim Sapientibus omnia pendent.
Nos tibi pandemus furtim consulta Senatus,
Fas nec erit subducta illum cognoscere scripta,
Vndique quae emittent Praetores urbibus anxii,
Quaeque Patrum possent mentem revocare animumque,
Atque hinc incoepto desistere, sumere et arma.
Res bene procedet. Tacuit tunc proditor iram,
Perfidiemque, minasque fovens sub corde feroces.
His dictis Bonapars laeto sua gaudia vultu
Haud simulare potest, iterumque ore addit amico:
Ipse fidem renovem: verbis ut fidere nostris
Ipse queas: mihi si Venetam concesseris urbem,
Si modo promissis maneas, quoque magna rependam
Ipse ego dona, tibique, tuisque sodalibus: amplum
Imperium solis Venetum et moderamina vobis
Ipse ego traducam, et pacem gaudebitis almam.
Hoc cupiunt mea vota: nihil me pellicit aurum,

Divitiaeque, decusque novum. Tu sumere poenas.
De tribus ipse Viris poteris: sed verba memento
Mutua ne referas, laeto ut res omine cedat.
Haud tamen ista meos lateat sententia amicos,
Quos quoque tu jungis comites: edissere cuncta,
Si tibi fert animus. Vix haec ubi dicta, frementis
Ferrea equi vastum sonitu quatit ungula campum;
Namque Bonampartem medio accit tramite visum
Gallus eques: cito rumpe moras, in proelia curre,
Hostis habet muros. Vt fulgor in aethere velox,
Quod micat eruptis strepitanti nubibus ictu,
Scandit equum emittens magnam de pectore vocem,
Credita res, dixit, praecepsque ad castra cucurrit.
Tunc sua fata fovens felicia, pectore fastus
Attollit vanos, tacitaque ambage malignos,
Atque iter aggreditur Patriam Julianus ad aegram,
Perque viam haec secum flammato corde volutat.
Felix, si possem ad faustum rem ducere finem
Nunc ego! si regni nobis donentur habenae!
Per.ldiem vinclis fraenabo, et carcere nigram
Inquisitorumque, decemque Virùm: omnia ferro
Subjiciam fortis, mihi ne ulla obstacula fiant.
Sic rabidus sylvis quoque cum furit ardor edendi
Vrsus se praeceps confert, oculosque minaces
Vertit ubique furens, vastos et pandit hiatus,
Et reboant saltus gemitu montesque frementi.
Et longe aspiciens praedam, per inhospita currit
Et tenet, et rigidis nunc dentibus emicat ardens,
Et laniat catulos, pereditque, omnem explet et iram.
O saevum hunc hominem tellus adaperta dehisce,
Infandum in caput, o coelum, de nubibus ignem
Heu! jacula: fato moriatur perfidus atro,
Tuque, tenebrarum Rector, rape tartara in ima.
Jamque locum pertingit, ubi Liquetius amnis
Gurgite praecipiti limum convolvit, et omnes
In mare versat aquas, atque omnia murmure complet.

Sistit, et impatiens certos per scripta sodales
De pacto ante facit, mandatque silentia cunctis.
Haec ubi missa, palam tamquam vox edita coelo est:
Credideris jurasse Deum: mirabile visu!
Proditor hic pereat, pereat qui cladibus ardet.
Diripiunt nubes subito coelumque diemque
Illius ex oculis: terrae nox incubat atra.
Æoliis venti, tempestatesque sonorae
Erumpunt portis: fractis et postibus Auster,
Et Notus ore minax pluvio, creberque procellis
Africus efflarunt terras, et turbine verrunt.
Tecta, casas, quercusque alta e radice revellunt.
Fulgura ubique micant, immani murmure nigram
Per coeli reboant horrenda tonitrua noctem:
Fulmina creba ruunt, discissis nubibus, inde
Praecipitant pluvia, atque effusi grandine nimbi.
Extemplo Juliano horrens tremor occupat artus,
Et Pater Omnipotens fulmen contorsit in illum:
Proditor hic pereat, pereat qui cladibus ardet.
Fulmine percutitur, terram procumbit ad imam,
Claudit et aeternae dirus sua lumina morti.
Tunc subito coelum tranquillo sidere ridet.
Sed tamen auditur fusas resonare per auras
Sibila spirituum, regnant qui in carcere Averni,
Qui Juliani animam coeli per inane vagantem
Corripiunt subito, immitesque ad tartara ducunt.
Illic Prodoticus toto conamine vectes
Carceris horrendas reserat, strepitusque pererrat
Caeca per antra, ruit reserato e carcere flamma,
Foetor et immundus, resonat gemitusque, simulque
Et manuum crepitus, tumidi vocesque furoris.
Postea Prodotico suspiria vana trahentem
Custodi tradunt hominem, solerter et ipsi
Spiritus ante Ducem Stygium volitare ferentes
Istius adventum. Dum lust a meabat Averni
Prodoticus cunctatus iter sistebat euntem.

Constitit in primis, ubi strictos nexibus orbes
Torquebat serpens hominis per corpus, et omne
Dorsum: pulsabat gravior praecordia cauda
Ictibus assiduis: sonitus pulmone dabatur:
Lingua trisulca caput foedum vorat, atque cerebrum,
Atque epulas renovat, crescenti viscere, serpens.
Qui posset luctus, quis tantum audire ululatum?
Aspicis anne virum, dixit, sic ore frementem?
Est Sophus altisonus, Russoum nomine dicunt,
Qui modo nostra viris, quos cernis, regna replevit.
Aspice tu quoque eum, quem circa malleus omnes
Summovet et dentes, et crebris tempora tundit
Ictibus, et forceps candescens inguina torquet,
Atque modo linguam alterno: est Volterius ille,
Qui scriptis totum pravis repleverat orbem,
Quem sapis et redoles avide monimenta sequutus.
Hunc quoque cerne locum magno clamore sonantem,
Lumina verte in eos, cruciat quos scorpius ingens
Agmine multiplici: ater Robesperrius iste
A dextra est, patriam qui terram sanguine fudit
Innocuo videas, et laeva a parte Maratum,
Virginis intrepidus nuper quem huc transtulit ensis.
Ille locus retinet (digito signabat eunti),
In picis ardenti Gallorum vulgus aheno,
Qui voluere suam naturae juribus usque
Ducere discincti vitam: conamine fuso
Daemonas aspicias illic extollere sedes
Ad tormenta novas: loca sunt sic omnia poenae.
Sed properemus iter: nobis nam sistere paullum
Maxima culpa foret, major tibi poena daretur.
Nunc adeamus, ubi sedet et regnator Averni
Vt tibi pro culpis aequus tormenta rependat.
Constitit hic tandem: medio tunc frigidus igne
Horror, eo viso, Juliani membra pererrat:
Horruerant crines: oculi formidine turgent:
Genua labant: Ducis enervis procumbit ad ungues.

Nam Pluto in solio residet ferrugine nigro,
Et manibus praefert rutilo sceptrum igne coruscum,
Quin digitos urat, circum versatque agitatque.
Interiora tremunt tetri penetralia luci,
Grande supercilium, atque caput convertere nunquam
Desinit obliquus. formidat et aulicus omnis,
Ordine qui circum cingit, regemque salutat
Mugitu bovis hic, rugitibus ille leonis,
Colax voce lupi, latratibus Heba molossi.
Cuilibet est facies trucium monstrosa ferarum,
Quas homo naturae non ullus in ordine vidit,
Quasque fugit revocare sibi deprensa pavore
Mens gelido, inque dies horret, si somnia praebent
Per solium circum serpens, et scorpius errat,
Vndique squallentes exercet aranea telas,
Luridam et hinc atque hinc canit importuna per aulam
Turba volans rauco bubonum carmine fata.
Cuncta quidem squallent, in corda metum omnia vexant.
Dum jubet extemplo fieri alta silentia cunctis,
Talia voce refert immitia Pluto minaci:
Tunc tuam patriam tanto devendere es ausus
Argenti pretio? nulla et tu Numina credis
Quae quoque certa fides nosmet jam credere cogit?
Eja, citi, totum vinclis innectite corpus,
Vincla sed igne prius rubeant combusta tenaci.
Et solito effraenem frontem comburite theta,
Atque parate picem, quae ferventi aere liquescat,
Pergelidasque Stygis gelidi seponite lymphas.
Postea solliciti alterno perfundite vase
Vtraque vos subitis sitientia in ora lacertis.
Expleat ipse sitim tandem, quae presserat, auri.
Sic ait, exanimem extollunt tellure jacentem, et
Daemones haud jussis Domini parere morantur.

LIBER II.

Ecce erat ipsa dies, in qua Respublica summum
Monstrare imperium antiquo de more solebat
Adriacis in aquis, navi collecta decora.
Aurea navis erat, partes partitur in ambas,
Desuper in nitidas belle distincta columnas,
Et specie sumptuque rates supereminet omnes.
Visa est aequoreae Thetidos pulcherrima sedes,
Per mare sive natans aurati Regia Solis,
Atque videbatur (tantum decoraverat aurum)
Alta, triumphata jam Colchide, Thessala pinus,
Quae ferret fulvo radiantia vellera villo.
Hinc atque hinc duplici simul intersecta sedili,
Serica quod volvunt sic pulvinaria late,
Mollia ut exhibeant Patribus subsellia magnis.
Versicoloratas ligno fingente figuras
Aspicias circum: varias referentia formas
Affulgent flavo tabulata auro intus et extra:
Aurea purpureo laquearia condita panno
Condecorant navem: caelamina prostypa fastus
Historiae signant Venetae, qua contigit undas
Lambentes, quaque obstantes intersecat: atque
Passim aliae a prora statuae longo ordine surgunt,
Quas nisi resplendens divesque obduceret aurum,
Tu certe veros homines, vel vera putares
Numina subjecto leges indicere ponto.
Pars caret haec tecto: cernis stare ordine centum

Signiferi, atque alii, qui nobiliore sequuntur
Ante Ducem famulatu: evectum suspice tectum:
Vellera coccineo contexto serica filo
Lene tegunt tecti curvamen: navita nubes
Exploraturus dubias vestigiá ducit
Per tectum, tempestatis quae signa minentur,
Aut haeret malo tua signa, o Marce, ferenti,
Quae fluitant tenues varie crispata per auras.
Intus in excelsa resides, dux maxime, puppi,
Candida cui vestis radianti internitet auro:
Pileus et Phrygius, capiti gemmata corona,
In speciem cornu ornamentum nobile donat,
Quo pendet velans aures tenuissima tela.
Inde Oratores fungentes munera Regum,
Qui pangunt inter nos continuata per ipsos
Foedera amicitiae, retinent subsellia circum:
Caetera subsequitur patrio toga nobilis ostro,
Atque Senatores, Equitesque simul: sacer atque
Presbyterûm coetus, redeunte novem vice in annos,
Sacra litaturus solemnia litore, pompae
Splendidiore decus donabat lumine festae.
Est locus et remis, quibus undas scinderet, atque
Hos capit auratae tantum pars infima navis.
Bis centum juvenes, quibus addit gloria vires,
Quique latent, clauso intus per spatia ampla recessu,
Per pandas ter septem utraque ex parte fenestras
Ter denos, bissenosque exagitare lacertis
Nervosis remos, spuma candentibus undis.
Concomitantur eam cursu famulante triremes,
Quae pandunt vexilla, quibuscum ludere credas
Diversis ventum: stipanti atque ordine ovantes
Circumstant aliae nigro de more colore
Oblongae cymbae, parvam quae aptantur in aulam
Ducentes medium convexi fornicis orbem,
Æquoreasque domos reris per caerula nantes.
Sunt quoque majores aliquae, quas serica adornant

Mire aulaea coloribus : aurea licia lambunt
Spumantes, agilis quas remus percutit, undas.
Sic navis, Bucentauri de nomine dicta,
Quippe videbatur claro comitata triumpho.
Nunc o quam mutata jaces! tibi nuda carina
Restat, et indigne converso more gravaris
Tormentis belli, fueras quae nuncia pacis,
Et malesuada fames auri tibi tegmina scalpsit.
Hic erat et ritus: vicinam accedere ad undam,
Quae portus ingressa lacum considit in amplum
Tranquillus sinus, et statio bene fida carinis.
Inque mare, in sponsum veluti, jactare nitentem
Annulum, et Induperatoris memorare repressam,
Qua trux Pontificem profugum exturbaverat, iram.
Sic quoque et imperium renovato pignore firmat.
Brachia erant nautae remis nervosa daturi,
Dandaque navis aquis: quando laxare rudentes
Nautarum circum remoratur cura volutos.
Impatiens alter casum maledicit amarum,
Funibus implicitos nitens dissolvere nodos,
Infremit alter, et ore procaci jurgia jactat,
Atque operi miscet, coelumque Deumque redarguit.
Fert animus tandem ferro rescindere funes.
Libera tunc navis praepes feliciter alis
Remorum cursum stridenti perficit unda.
Quisquis at insolitum secum hunc in mente revolvit
Eventum, et varii sensus praecordia terrent.
Sunt aliqui nautas qui indoctos crimine culpant.
Quid? noscens artes, animisque est prompta juventus,
Et temere numquam visa est hoc munere fungi.
Maxima pars, quorum melior sententia, clamat:
Non caret hoc astu, quem obliquo pectore nectunt,
Qui patriam cupiunt animo lacerare nefando,
Francigeno et studio temerantur, et arte proterva.
Scilicet et dubios augent in pectore motus.
Nunc fortuna, vicesque poli, mala et omina rerum.

Namque videbantur, remis pulsantibus, undae
Insolitum tacitae tanto sub pondere (mirum!)
Conquerier, solitasque albae non volvere spumas.
Nescio quid rauco geminent tunc gutture moestum
Litoribus solitae nostris configere nidos
Dilectae Thetydi Alcyones: nunc currere in undas,
Nunc caput aequato irrequietae immergere ponto,
Nunc visae canas, similes orantibus, alas
Sistere clamantes, lente et demittere lassas:
Vidimus et Solem tenui caligine fuscum
Obtusos terris radios effundere et undis.
Nempe est in rebus fati prudentia: solem
Quis dicet falsum? in nubem ut si conditus orbem
Nascentem variet maculis, est proximus imber,
Imbriferamque times, cum sit tibi caesius, undam,
Atque times saevos, si cernitur igneus, Euros;
Sic quoque et Adriacis supremum dicere festum
Omine praesago praecordia praescia norunt:
Quippe etiam pluviis transacto turbidus anno
Distulit in lucem solemnia festa serenam,
Atque ita permonuit caecos instare tumultus
Heu! nobis, fraudemque et operta effervere bella.
Interea veterem ritum Dux anxia volvens
Conficit, et rursus magna redeunte caterva
Cymbarum, navis cursum remeare parabat.
Post, licet haud poterat de corde excedere moeror,
Ad mensas coëunt, quas Dux de more solebat
Quadraginta parare Viris, quorum additur unus
Ad numerum, quorumque Ducem suffragia sacrant:
Conveniuntque alii, celebrat quos splendor honoris.
Aula capit circum cano nitidissima gypso
Signa venusta, vel aere, putesque simillima veris.
Illic argentum, et circum vasa aurea rident:
In media mensa flores, vitreumque decenter
Fulget opus, mira fictum feliciter arte.
Vitrea nam spectas pulchro viridaria nexu,

In quibus assurgunt hinc arte palatia docta,
Hac juvenes ludunt, et aves in frondibus alis,
Luxuriant et oves parte hac per gramina campi.
Artis opus fingit mirabile proxima nobis
Insula Murani flammatis usta caminis.
Jamque albent tonsis late mantilia villis,
Atque coqui, quibus intus cura adolere penates,
Disponuntque, parantque focis torrentibus escas:
Hinc alia videas praenobile surgere mensae
Alterius tegumen, redolentia parte canistra
Molliculis escis: cariota, cupedia cernis,
Salgama, pastillos, dulces, bellaria, fructus.
Acciti Patres mensis epulisque paratis
Discumbunt: epulasque datum tunc cernere primas
Omnibus ex populo: populus praecone jubetur
Clamanti removere pedes: atque ostia circum
Illico clauduntur. Celeres famuli atque ministri
Mox dapibus mensas onerant, et vina frequentant
Vina dapesque tamen tristi de pectore voces
Solvere non poterant: sed muta silentia squallent,
Inque Patrum ore timor pallens, cura incubat anceps.
Hos inter Pisaurus tetrum in corde dolorem
Haud simulare valet, gemituque silentia rumpit.
Heu! aliquid certe, si sit prudentia menti
Venturi fati, nobis praedicit amari
Pectore cor moerens, et muto pallor in ore!
Scilicet haud lateat, quod nos Fortuna maligna
Aggravat ipsa rota, vultumque avertit acerbum.
Incidimus duro nunc in mala tempora fato,
Atque Patres ipsi patriam, qua carius esse
Nil debet civi, studiis deperdere versis
Et tentant, et avent, turpesque immergere luctu.
Me latet haud nullus: pridem jam ego inutiliter ipse
Verba Senatorum feci imperterritus amplo
Concilio, fatis solvens venientibus ora,
Ora sed incassum, nam numquam credita: vecors

Proh pudor!, instituit sine milite ducere sortem.
Hinc est prima mali labes, hinc certa ruina.
Libera sensa mihi, vobis firmissimus inquam,
Quod mea suppeditat mens; heu tibi causa malorum,
O Patria infelix, quod verso more parentum
Dulcis amor patriae nunc nullo in pectore fervet!
Et graviter timeo in mentem deducta nefandam
Corda Senatorum, fuerat queis lumen ademptum,
Quosque dolus rapuit, facundae et gratia linguae.
Multa quoque ore loqui cupiebat: venit in aulam
Nuncius en praeceps: defertur epistola multi
Heu nimium praesaga mali caedisque futurae!
Hanc moerens demiserat Octolinus ad ipsos,
Queis mandata fuit Sancti jam cura Senatus.
Tunc subito surgunt epulis mensisque remotis,
Praedicitque animus, quod epistola nuncia tetri
Afforet ipsa mali: pavor intima corda pererrat
Pisauroque, illisque, fuit queis maxima cura
Innocuas urbes, patriamque a crimine foedo
Solvere Francigenum. Jam tunc incoeperat hora,
Lampas cum noctis caecas illuserat umbras,
Atque viatori signabat lumine calles.
Absque mora augustum cieunt sacrumque Senatum.
Rescindunt trepidante manu, qua est obsita, ceram,
Emicat atque oculis cognoscere quisquis anhelis
Quas gerat illa minas: quanti sit nuncia luctus.
Heu quantus pallor, cum talia litera fatur!
Quae nunc, o Patres, quae nunc mentemque animumque
Res infanda mihi obvolvit, lacrymisque refundit
Nocte dieque genas! Galli, gens ista superba
Pulchram stringit adhuc Vrbem, cui Mantua nomen.
Omnia tentantur, sibimet ut Mantua cedat.
Imminet armorum rabies: jam perfidus urbes
Vult penetrare fero Bonapars cum milite nostras.
Eloquar, an sileam? miles nunc irruit ater,
Bergomum et excelsum violatis juribus acer

Naturae sanctis Bonapars penetravit, et hostem
Quomodo dejicerem delapsum in moenia cursu
Praecipiti, orba patet si moenia turribus, ullus
Nec superest miles, longis nisi fessus ab annis,
Machina nec belli superest, nec copia glandis?
Tunc ferus ille cibos, nummos, et pabula poscit:
Nec mora, equisque, virisque minas projectat acerbas.
Ipse ego compescens lacrymas, fixumque dolorem,
Et ratus indignum permittere caetera fatis,
Intrepidus contra firmis sic vocibus affor:
Non est, crede, mei, Bonapars, concedere jussis,
Sed Patrum est, aliterque nefas, quaerenda voluntas.
Hic interrupit Bonapars mea verba minaci
Ore loquens: Age, nulla morae me causa retardet.
Quid opus est verbis? ego cuncta obstacula sperno.
Magna tibi, quodcumque ministras, Gallia salvet.
Sic ait, abscedit, tumidas exarsit in iras.
Quid mihi firmandum? quid nullo milite et armis
Quid faciam dubius, si castella occupat urbis?
Aggravat atque malum (sera et spes ulla medendi)
Quod favet hostili, quorum sententia nota,
Nostrorum studium, devinctaque gratia fastui.
Quis neget hinc volvi funesti semina motus?
Mittite militias cito, quaeso, mittite et arma.
Creditis innocuos Gallos? aut ulla putatis
Non ventura mala? heu vobis illuditis ipsis!
Invisum genus est, invisaque semina belli.
Credite, latronum saevit superabile bellum.
Vt ventus stridore per aëra torquet arenas,
Sic licet et vobis facile disperdere fures.
Namque ruunt castris bacchantes ordine nullo,
Arte ducis nulla: per venas sanguis oberrat
Exstimulans corda, ingenii variansque levisque
Est acies Gallis. Haec obstat? cernite torvos,
Spirantesque minas: sed sors ubi torsit iniqua,
Et vires animique cadunt: facinusque per auras

Deficit inflatum : lymphae sic turgida gutta,
Quam puer immisso distenderat aëre ludens,
Frangitur attactu, in quo pernatat, aëris uno.
Parcite, si vobis ardentia verba refundo,
Dulcis amor patriae voces mihi suppetit istas.
Palluit, et gelido quatitur terrore Senatus,
Postquam conticuit lector, rem expendere magnam
Tunc sese accingunt omnes. Data copia fandi est
Pisauro, cujus fervens in pectore honestum:
Dura quidem res, et belli vis proxima cogit
Armato nostros late fines custode tueri,
Militibusque. Morae rumpantur: perdere tempus
Triste foret nobis a tergore habentibus hostes.
Quisquis ad arma volet, celerique in proelia cursu
Praecipitare decet, nostrum ut servemus honorem.
Si secus, heu Venetos frustra deflere potentis
Excidium patriae, venturaque fata pigebit.
Quinquaginta mari est nobis dare vela potestas,
Quin navale suis minuatur viribus: istud
Nonne ad opus septingentis e navibus, amplas,
Queis revehunt cives longinqua per aequora merces,
Colligere, et nautas facile modo possumus aptos?
Nonne rates aliae nobis, et machina abundat,
Sulphura, ligna, nitrum, ferrum, instrumentaque belli?
Nonne brevi quinquaginta de mille virorum
Ex Italis, atque Illyricis componere turbas
Fas est, et juvenum dociles certamine vires?
Heu nimium, Patres, erravimus! hic labor unus
Nos manet errorem fortes detergere turpem
Quis nescit sacro Reges cum foedere vinctos,
Vt populi semper tueantur jura tenaces?
Cur honor, inque aula fulgenti assidere nobis
Concessum a populo est, renuit qui sceptra, coronam,
Illius ut studio vigiles sua jura tuamur?
Nonne olim Venetus vobis sua sceptra remisit,
Imperiumque suum populus, se fidere vobis

Haud dubitans? ideo liceat sperare salutem.
Imperii colpa haud est excusabilis unquam:
Mittites militias: urbes tutaminor: omne
Tunc foret auxilium, mora si intercedat, ineptum.
Sic quoque languenti sero medicina paratur,
Cum primum morborum exordia negligat aeger.
Sic etiam nivibus turgens refluentibus amnis,
Ni cito fragosis undis obstacula ponas,
Terrificus sternit ruptis late omnia ripis.
Sin datur et venia, ut Bonapars nunc occupet urbes
Viribus ipse suis (quis non mendacia novit
Insidiasque Ducis) quisnam tutissimus ibit,
Ne levis effictae consulto causa querelae
Huic satis esse queat, potiatur ut urbibus horrens?
Vos quoque commoneat cautae vigilantia mentis,
Quod saltem populos effraena licentia ubique
Militis innocuos offendet, juraque temnet.
Tunc igitur dubiis dum mens, heu! fluctuat, anne
Cernere dejectos animo patiemur iniquo
Immeritos populos, patriaque a sede revulsos
Captivos, oculo spectante, rapi· atque malorum
Auctores nosmet probris dirisque voveri?
O Patres, aperite oculos, insistite magnis
Majorus exemplis, et sint bene condita corde.
Atque quidem proavi vehementia in arma ruerunt,
Cum parva Afrorum est furata per aequóra merces
Turba leves. Vos tot populis et civibus atra,
Queis bona diripiunt Galli formidine pressis,
Quonam animo tandem nunc temporis esse licebit?
Hi libertatem fortes per saecula nobis
Servarunt veram, tot bella et funera passi.
Vos etiam vitam ereptam spernetis inanes,
Et patriam manibus laniatam cernere diris
Nunc sicci poterunt oculi? quid profuit ardor,
Bragadene, tuus, divulsa et tergora castis?
Quid, Flangine, juvat patrio pro nomine laesum

Vulnere crudeli inter brachia moesta tuorum
Linquere te vitam? cur tot tantaeque virorum
Curae, quae patriam ad fastigia celsa tulerunt?
Heu, vos, heu tota vos voce: Cavete, precamur,
Ne veluti his fuerat res pulchra adnectere tantum
Imperium vobis, ita sit turpissima, vestro
Crimine, quod tribuere pii, non posse tueri.
Dixerat, at contra Battaia sensa refundit,
Ille, cui est nomen saevo a certamine ductum,
Patricius, Gallis fuerat qui turpius haerens,
Et licet insigni patriae decoratus honore,
Attamen insidiis, Juliana instructus et arte
Proh! fuit imperii, Venetorum et proditor Vrbis.
Ipse Senatores plures sibi junxit amicos,
Inque suam statuit versutus ducere mentem
Nobile Concilium. Res et sibi prospera cessit:
Namque dolis fuerat, fallaci et maximus ore
Nostra quidem, dixit, magnas navalia vires
Suppeditant patriae, classesque immittere ponto
Possumus, atque licet: sed tum sperare salutem
Vnde datum certam, sors si contraria fato?
Vnde datum, nimium si pax longaeva retundit
Brachia militibus, populus desuetus et armis
Arma pavet, plenaeque jacent rubiginis hastae?
E contra bellum, quod nobis imminet, ingens,
Horrificumque minis intentat nescius ullis
Armis Napoleon vinci, cui subdita servit
Italiae pars magna, expulsis regibus, aegrae.
Classibus ille potens tumidus navalia spernit,
Agminibusque valens nobis populoque superbit
Imparibus: Mavors, invicto et numine Pallas
Praestat opes: quidnam divis opponere tantis?
Vae nobis! si fert animus modo milite cunctas,
Atque armis munire urbes: arsurus in iras
Agmine terrifico pervaderet omnia certe.
Expediat potius numquam irritare crabrones,

Ne, quae nunc fortes Germanos bella fatigant,
In nos convertat pejori sorte: Jubete,
Vt quodcumque petit, liceat concedere primum:
Gaudet post duros constans patientia casus.
Sic ait, et verbis sententia firma Senatus
Haud mutata fuit: fines urbesque tueri
Militibus statuit. Battaia proditor ore
Infremit, et secum rabida percellitur ira.
Sed quodnam Adriacos nunc formidabile fatum
Exagitat? quaenam coelestis Numinis ira,
Quae te volvere tot casus, tot adire labores
Nunc statuit? sic eheu! sic jam fata tulerunt,
O Patria, ut foedi sceleris ludibria fias!
Ecce, Parisiaca quam de tellure Quirinus
Misit Legatus, pervenit epistola, adire
Tempore, quo plures converso more solebant,
Quo Venus, aut ludus, vel quo nova scena vocabat.
Sistitur, et studio quid nunciet ipsa sciendi
Ardebant omnes. Legitur quod subdola fingit.
Accipe perfidiem Gallorum, conspice morem,
Atque modum, quo nos ah! Gallia prava fefellit.
Non ego lethali te, Gallia, persequor ira,
Nec te devoveo, sed enim pius ingemo sortem
Heu tecum immitem! Vidisti flumina sacri
Per fora perque vias excurrere flexa cruoris,
Atque oculis defixa tacentibus, imaque corde,
Quod gravis horror agit, cohibens suspiria, Regem,
Regalemque domum totam sine crimine morti
Damnatam turpi, impietate furente tuorum,
Deflesti. O quantos volvis tu, Sequana, fluctus
Sanguine purpureos! Vitrei non amplius illi
Praecipiti cursu per saxa objecta fluentes
Lac spumans referunt: placido atque in gurgite pallens
Argentum haud simulant, nec roscida cernitur Iris,
Cum quatiunt cautes, et sese aspergine fundunt;
Vt quos mittebat scatebris jam Volesus ante.

Eloquor infami moerens de gente tuorum,
Quae vexat regnum, quae te compagibus arcet,
Et studet Italiae similem perferre laborem.
Litera lecta fuit: scriptum tu percipe mente,
Quid referat: quatiat tibi membra et frigidus horror:
An liceat verbis forsan sperare salutem,
An melius fractis, Patres, succurrere rebus,
Nunc liceat vobis severa pendere lance.
Postquam introgressus, verba haec mihi Gallia fecit,
Quae narrem vera, et quae intentis auribus hausi.
Gaudet, et hunc certe in felicia tempora figit
Gallia laeta diem, quo te excipit ipsa, Quirine.
Testari videas, queis te veneratur, honores.
Tempore et ex longo Venetos Gallosque revinxit
Foedus amicitiae. Fuimus comites in praelia fidi,
Saepius et duce fortuna devicimus hostes.
Gallia deflebat sub duro verbere regum,
Triste jugum disrupimus: hinc quam dulcius omni
Foedere foedus erit, cum jam sit libera nobis
Conditio pariter! nos ferme exordia eodem
Tempore jactamus, magis atque hoc vincula stringit.
Foederis alterni cernens exempla stupebit
Quisquis, opesque graves trepido pulmone pavescet.
Francigenaeque pari generosi pectore semper
Par reddent. Cum nostra micans Respublica primis
Insidias metuit cunis, incertus et esset
Exitus, excepit tunc Adria corde benigno,
Quem nos Legatum demisimus, atque libenter
Adria conspicuis cumulavit honoribus aequa.
Nos iterumque iterumque fatebimur omnibus, esse
Fas magnas nobis, dignasque rependere grates.
Namque modus, nobis quo semper favit, agendi
Praevalet ipse magis, nec iners oblivio tantum
Vnquam de nostro benefactum pectore perdet
Quot casus unquam, quot acerba pericula rerum
Extimuit, fidei ut praeberet pectora nostrae?

Lumina dum Phoebus terras diffundet in imas,
Et mare velivolum, montes lustrabit, et agros,
In freta dum fluvii current, dum vasta tenebunt
Æquora aquas, avidos pascet dum terra colonos,
Gallia perpetuum Venetis servabit amorem.
Qualis avis, volitat quae pura per aequora coeli,
Et sospes campos vocis modulamine complet,
Cumque aliis teneros laetans dividit amores,
Nescia fortunae in ramos salit arboris altos:
At si forte sonet viridi cava fistula prato
(Aucupis insidiae) vocem tunc currit ad illam:
Credit avem, pratum rutilantibus occupat alis,
Sed misera interea laqueis sua jura coercet.
Credula sic verbis deluditur Adria iniquis;
Namque animis vires redeunt: spes subdola praebet
Non perpensa satis. Clamat, tutissima certe,
Ipse Senatus, adhuc perstat res nostra: timori
Haud locus est ullus, modo sit fiducia Gallis.
Volvitur in pejus, statuit persistere inermis.
O nimium miseri, inque dies miseri! huccine caeci!
Creditis et Gallis? pulchris oh credite verbis!
Certe aliquis latet error, jam latet anguis in herba.
Quidquid id est, timeo Gallos, magis ore loquentes.
Nuscuntur circa Asphaltiten plurima pulchro
Poma colore lacum: at demorso cortice, teter,
Sordidus atque cinis pro succo spargitur inde.
Qualis ubi lupus, et quem dira fames premat, altis
Montibus erumpens, rabidis ululatibus atrox
Jam saturare famem teneros exardet in agnos:
Si tamen ipse canem videat latratibus altis,
Dentibus atque uncis, qui se ferat obvius illi,
Ipse fremens secum retro vestigia volvit:
Ferre nequit tormenta famis, sibi quaerit ovile
Tutius, et reperit: pastorque canesque sepulti
Sunt sommo, captat taciturna et gaudia mente,
Saevus et inter oves turbatas ora cruentat.

Gaudia sic tacito excepit Battaia corde,
Qui scelere infando patriae sacra jura perosus
Ardebat vanus patriam laniare vetustam.
Quo trahit inversae vecors sententia mentis,
Et novitatis amor! praeclara stirpe creatus,
Et similis Regi retinens moderamina rerum
Jure pari cum aliis, dederat quod nobilis ortus,
Vivere subjectum misera cum plebe praeoptat!
Fit strepitus soliis, soliisque innixa levavit
Membra Senatus: abit reddens sibi verba salutis
Mutua quisque: domum it, cum Sol latitabat in undis,
Limine plus medio subjecti cardinis acto,
Et properabat iter, daret ut nova lumina terris.
Interea Bonapars vexilla admovit ad urbes
Adriacas: furiosa licentia saevit ubique,
Milite et indocili late loca inermia stirpat.
Brixia, Crema, tuae et fremitu, Benace, sonoro,
Quas reples, urbes, et propugnacula nullis
Praesidiis munita, ferum gemuere furorem,
Vimque trucem. Insequitur jam jam peditumque
Ordine confuso bacchans exercitus, atque equitumque
Ille tuis ruerat portis, Verona, superbis.
Infelix Verona nimis vicina decorae
Mantuae, et infestis semper circumdata bellis!
Sic quoque, cum crepitanti erumpit fulmen Olympo,
Atque etiam horrificum terras descendit in imas,
Qua serpit, flagrans caedis vestigia signat,
Sulphuris atque gravem late diffundit odorem.
Militibus Bonapars hominum, regumque flagellum,
Quem saeva genuere tigres tellure cruentae,
Haec ait: O socii, quaenam usquam tela, manusque
Virtutem superare queant, qua vicimus usque?
Nonne brevi fortes subjecimus omnia gressu,
Perque meas vostrasque manus feliciter arctus
Nonne brevi populis compes dissolvitur, et nunc
Nonne per Hesperiam Germanos sede revulsos

Aspicimus, populusque est libertate beatus?
Cernite ut assidui geminentur in arma trumphi.
Coetera praetereo belli narrare tropaea:
Magnanimos vobis stimulos dedit aemula virtus,
Atque dabit semper: pacem cum Caesare pangam;
Postea ut in Venetos moveamus praelia falsos.
Nam Comitem Narbonis, quem sub nomine Lillae
Agnostis, circum (nec vos latet) ore procaci
Sese jactantem Regem Verona recepit.
Concidat iste Comes regali sanguine natus;
Nescio enim quaenam mentem praeludia turbent
Dira mihi: videor, somnus dum membra rigabat,
Aspexisse oculis cingente tempora serto,
Liliaque ante illum rursum florescere caule,
Et dare Francigenis leges et jura reversis.
Ergo ferre licet, somnos si vera sequantur,
Amplius ut vivat securior hospes in urbe?
Quot fas vota fuit profundere, quotve querelas,
Vt jubeat saltem indignum decedere longe
Adria conticuit, quamquam tum cerneret ejus
Tecta referta viris, noscit quos ipsa faventes:
Hac, hac arte sibi poenam haud miseranda paravit.
Insuper armorum quando fortuna ferebat
Austriacos, subito faciem mihi perfida vertit,
Perque dolum conceditur Arx Piscaria turpem
Germanis, furtim quos subdola amatque, favetque.
Di bene, quod fortuna brevi illis tempore risit,
Nostraque Austriacos virtute fugavimus, atque
In manibus rediit tunc Arx Piscaria nostris;
Si secus, ipsa malis nos oppressisset acerbis.
Adria, nonne tibi poenam haud miseranda parasti?
Ergone turpe nefas, quod nostrum laedit honorem,
A Venetis perferre licet? sic nota voluntas?
Ille ego longaevo dentes atque ora Leoni
Contundam, atque suis evellam e calcibus ungues,
Illius a tergo rescindam immitis et alas,

Quas agitet numquam: ferro populabor et igne
Quod Venetos tangat. Vindictam atque Adria nostram
Ipsa feret, pellamque suis e sedibus omnes,
Perfida quos maculat versutos culpa tyrannos,
Gaudeat et populus sibi libertate beatus.
Nunc operi vosmet, Socii, servare secundo.
Continuate animum, quo semper clara per orbem
Nomina vestra sonent, stupeatque exterritus ausis.
Illic divitiae vobis gazaeque parantur,
Conspicuique vocant illic monumenta triumphi.
At bene, ne in vacunm pereat res tanta, cavete,
Ne subito liceat vosmet profiterier hostes.
Talia jactantem laudat plauditque vicissim
Impia turba, et, io Bonapars, io Gallia clamat.
Attamen (ipse furor cogit tam pectora furum!)
Tunc Galli Veronae spectanda urbe potiti
In Venetas urbes terrorem fundere tristem
Coeperunt, urbesque modo vexare minaci,
Tamquam Marte forent, hostili et robore fractae.
Depopulantur agros, segetes quae grata colonis
Gaudia foverunt, atque a radice revellunt
Paciferas oleas, ne sit fiducia pacis.
Vvaque barbarie sulta circumdata flammis.
Vrbibus et cunctis gravia imposuere tributa,
Quae sibi vi repetunt, et quae numerare dolemus
Nummûm quindecies Francorum millia mille
Libertas fuerat pretio devendita tanto!
Aspice quod nondum heu! expletur hic impius horror
Nam pecus, atque boves late rapiuntur, equique.
Spargitur et vinum, postquam acri dolia ventri
Spumarunt, vacuant et frugibus horrea opimis.
Quid non Gallorum sitientia pectora cogit.
Saeva libido? pudor maculatur virginis almae
Viribus ereptae: impietas grassatur in aedes,
Quas pietas olim sincera sacraverat Illi,
Cujus ad imperium stant regna caduntque tremendum.

Sacrà quidem manibus furantur vasa profanis,
Presbyteris pulsis, diro vel vulnere laesis.
Dantur et infandae conjunx, et foemina morti,
Qui furtis frustra voluere obsistere Gallis.
Conspectisque illis pallor subito inficit ora,
Et sibi quisque timet: perterritus advolat infans
In matris gremium, faciemque advertit in illud,
Et fletus geminant infans, materque, paterque.
Ipse Athesis, Veronae qui praeterfluit Vrbem,
En gemitu captus cursum obliviscitur: anceps
Quo fluat, atque moras torpens innectit in urbe:
Postea iter pergit tacito cum murmure lentus.
Quod genus hoc hominum est? hominesne, feraene colentes
Antra, tenet quae Arctoo frigore inhospita tellus?
Proh pudor! in brutum numquam fera pessima saevit,
Impellant nisi acerba fames, alimentaque nulla.
Quippe Leonem amat ipse Leo, Vrsum diligit Vrsus,
Naturamque suam sequitur fera bellua quaevis.
Ast homo conspicuos naturae oblitus honores
In similes homines ferrum convertit acutum,
Quod fuit in pecudes inventum ab origine prima,
Parvaque causa satis rabidam quae concitet iram.
Si patria hostiles animos concepit, et aestus,
Cur non Francigenae bello sectantur aperto?
Si fidei numquam promissae foedera laesit,
Cur hostes miseram furtisque minisque lacessunt?
Sed te nosse, Fides, immitia corda negantur,
Intemerata licet splendentia lumina fundas.
Hoc Fuscarenus praetoris munere fungens
Scilicet ingemuit, nuper cui credita cura
Veronae, urbium et illarum, quas opprimit atra
Francigenum rabies, inconcessoque timore
Corripitur, varioque animus sibi fluctuat aestu,
Anne Bonampartem liceat, flectetur ut ira,
Visere victorem, justosque refundere questus.

Consulit et trepidans volvit noctuque dieque
Rem tantam, timuitque sibi triste affore fatum:
Nunc horror gelidus, timidus nunc conficit ardor.
Inter utrumque labans satius demittere censet
Ille Virum, egregio dicunt quem nomine Justum,
Qui Chiliarchus erat. Gallorum castra penêtrat,
Atque Duci ardescens voces persolvit inanes:
Voces nam nimium inclementibus auribus haustas.
Curnam tanta tuum nunc pectus concitat ira,
Induperator amans hominum, et quos dicis amare?
Quid culpa patriae posses opponere nostrae?
Semper amica tibi, Gallis atque Adria amica
Respuerat causas vobis stimulosque nocendi.
Francigenas erga nimii suspecta favoris
Sustulit Austriacûm toties acrem ipsa querelam.
Forsitan hoc in vos crimen? quodcumque petistis,
Illa dedit, cogitque alios concedère vobis.
Forsitan et crimen nostra in tellure dedisse
Hospitium Comiti Lillensi? Quis neget unquam
Hospitium misero patria de sede repulso?
Sed simulare volens placide inter talia fatur:
Pone metum. Cur hostis ego? quis nesciat unquam
Militis effraenem mentem, furtisque dicatam?
Cuncta sibi permittit avens miles: nec avaro
Nil satis est cordi: tamen ut tibi nulla querelae
Causa sit, ut fidei sis nostrae conscius, ulla
Absque mora, jubeam Venetis ne damna ferantur,
Militibusque meis imponam ut rapta remittant,
Et solvent dignas tanto pro crimine poenas.
Crede mihi, manifesta fides, studiumque, nec ullo
Foedus amicitiae nostrum unquam decidet aevo.
Sic ait, et ne quid Justus magis ore reponat:
Da veniam: extimulant curae: discedere fas est.
Interea sibi nil curat misera Adria. Quo te
Divitiae, et vitium traxerunt! Ecce periclum
Imminet excidii, vecors, et coeca vagaris

Per fora, perque domos, et per clamosa tabernae,
Epotatur ubi Mochae seges usta Saboeae,
Cumque aliis tempus lingua consumis inani,
Aut madidam curris versare inhonesta palaestram,
Aut ubi se tollunt templis objecta sacratis
Ampla theatra recens. Heu! dum gemit anxia terra
Hesperiae, atque sibi turbato pertimet ore,
Adria bis nonis immenso ad sidera sumptu
Mensibus extulerat fatis sopita futuris.
Jamque nihil vetitum juvat, hoc ne nundinae in anno
Solemnes fierent, Venetis laetissima cunctis
Tempora, quae plateam Marci tenuere quotannis
Per ter quinque dies: quadruplex ubi fabrica surgit
Egregium artis opus picta intextum abiete circum.
Intus distinctis stat porticus alta columnis,
Mercibus et dives pretiosis intus et extra
Circumquaque taberna nitet: numerosus adibat
Tempore in hoc urbem visurus et advena nostram
Pulchra theatra, jocos, visu spectacula digna
Attamen ipse Forum magnum plerisque redundans
Francigenis vidi: immanes ex aere rigentes
Loricas memini, galeas cristisque superbas,
Fatiferosque enses, Mavortia signa, pavescens.
Nilque juvant prorsus trepidi consulta Senatus,
Queis edicuntur per cuncta sacraria sanctae
Presbyteris populoque preces (tentare periclis
Quod solet in duris mortalis caecus et exlex,
Qui modo corde memor coeli tunc Numina noscit).
Ipse ego vicini praesaga mente pericli
Confugi toties antiquam moestus ad Ædem
Coelicolae Marci, splendens pietatis avitae
Pignus, ubi ritu primorem urbs tota Patronum
Praecipuo recolit: lacrymas, et vota, precesque
Illic effudi supplex ad Virginis aram,
Cujus et auspiciis jam pridem Vrbs nostra vigebat.
Illic et populi gemitus, suspiria, planctus

Tunc memini resonasse per alta cacumina templi.
Cuncta sed incassum: namque immutabile Numen
Praefixit casum fatis, permisit et atrum
Vmbrarum patrem tenebroso erumpere ab Orco.
Francigenis et opem, et vires afferre potentes.
Revera Satanas comes indivulsus ab illis,
Et mage Cyrnaeo vigilans dictabat amicus
Cunctos, ut fieret res fausta, modosque, viasque
Illius auxilio Bonapars, qui bella movebat
Nilicolis, vitae et Memphi discrimina passus,
Cernitur Austriacos praesens configere telis.
Illius auxilio Italiam peragravit, et aura
Veloci citius subjecerat agmine terras.
Interea occurrit laetus Landruxius illi,
Cujus erat munus profuso turpiter auro,
(Quod Gallis Italas debebat reddere summo
Foenore divitias avidis) verbisque dolisque
Incautos, nimiumque Italos pervertere caecos.
Induperator, ait pravo Landruxius ore,
Cuncta, in queis poteram sperare, ego corda coemi,
Et certe validos armis promitto favores.
Jam prius Italiam assidui lustravimus omnem,
Vndique iter fausto confecimus omine missi:
Tuque ipse expertus non infelicibus armis.
Ex unis victor, certus fideique relinquo,
Atque alios adeo, captem ut nova corda faventum.
Cautus, ubi argento, verbisve necesse fuisset,
Perpendi, semper donando parcus in auro.
Quis non in multos exsolveret ora cachinnos
Admirans stultam, nostris sermonibus haustis,
Quam Ausonii tribuere, fidem? velut agmine fuso
Picta per arva ducem sequitur pecus aera agitantem:
Aut velut expansum crocitante per aethera rostro
Turba gruum sequitur comitem bona sydera quaerens,
Sic Italus trahitur praebens hic vocibus aurem.
Tendimus ad Venetam properis nos gressibus Vrbem,

Atque ibi Patricios, queis auro vestis et ostro
Fulget, summa quibus fuerunt et credita rerum,
Per fora, perque domus celsas, et ubique locorum
Insequimur: nosmet festo in penetralia vultu
Excipiunt, ubi suppeditat mox prodiga nobis
Lautos mensa cibos, peregrina et munera Bacchi,
Aptisque inter nos firmamus foedera dictis.
Hic nostri gressus, expectandique triu phi,
Hic mea magna fides: si non fallacia nobis
Reddantur promissa, brevi certe Adria nostra est.
Cui Bonapars: Age, continuato animumque, laboremque,
Advenient operi clarissima praemia tanto.
Jam reboant urbes praeclaris laudibus omnes,
Regibus expulsis, reboat nunc totus et orbis.
Perge iterum ad Venetos, bene cautus et esse memento,
Secretoque suas in nostram adducere mentes,
Quam par est, citius curae viresque laborent.
Perscrutare animos, voces perpende, modosque,
Quos peragant Veneti: incautum ne erumpat ab ore
Dictum, et adhuc simula, Adriacis nos dicito amicos.
Fingemus causas meliori tempore belli;
Nam quoties animo libeat, quotiesque necesse,
Praelia prompta movere potest occasio quaevis.
Quin etiam quid opus? perspeximus omnia semper
Cedere Francigenis, quorum vis undique terret.
Tu tamen, o Landruxi; iterumque iterumque monebo,
I prudens, parcus da, prodigus omnia sponde.
Conticuit Bonapars, et ad horrida pervolat arma,
Rursus ut horrorem Venetos inferret in agros,
Qui fuerunt, eheu! tristis scena anxia belli.
Tanta fuit Venetorum haec inclementia Patrum,
Qui siccis oculis Gallos saevire videbant.
In miseros, populosque suos, quibus usque negatur
Jus quoque naturae toties totiesque petitum,
Viribus ut propriis Gallorum pellere vires
Copia facta foret: fervens exercitus ingens

Sumpsisset tela: octoginta mille virorum,
Et qui fortis erant, animique experta juventus,
Pectora pro patria, et bona, divitiasque dedissent.
Feudum qui retinent domini, praebere parati
Et belli instrumenta, virosque ex foedere centum
Adriacis, seseque duces, aliosve parassent.
Vt, cum mellificae per amaena vireta vagantes
Exercentur apes succos de flore legentes,
Si cava forte terit tinnitu villicus aera,
Tecta relicta petunt stridentes agmine denso;
Sic quoque consilium juvans fluxisset in unum
Plurima turba duci flagrans parere vocanti.
Nam cupit Adriacas generoso sanguine leges
Tutari patriasque simul confisa tropaeis:
Et bene, nam vires foede scortata potentes
Œnotria adtribuit nondum: natura patebat,
Quae flammat tumidas Italorum torrida venas.
Nonne animus Gallis caderet, cum praelia dura
Exsuperanda forent? passim stant ordine nullo,
Arte Ducis nulla: at felix audacia vicit.
O quot legisses lauros animosa juventus,
Quot palmas, si fata tibi non laeva fuissent!
Cuncta sed incassum: namque a Sapientibus ipsis,
(O male concessum perverso tempore nomen,
Munus et egregium!) claro, sanctoque Senato
Cuncta occultantur, ne firmo Curia nutu
Ambiguae posset patriae curare salutem.
Ergo odiis patriam tantum insectantur acerbis,
Vt trucibus major donetur gratia Gallis!
Haec igitur populis fessis responsa dedere:
O cives, o quanta datis mala semina belli,
Quae vos, quae natos certa in discrimina remur
Ducere, si vultis Gallos invadere bello!
Quis, dum se rabido confert per compita passu
Vrsus edax replens latos clamoribus agros,
Quis strenuus rabiemque iramque lacessere tentet,

Et pede non verso? quis et irritare Leonem
Audebit, satiare inhiantem in sanguine fauces?
Haud agitetis eos: mala cum fastigia tangunt,
Declivi redeunt gressu velocia retro.
Vos tantum patienti animo perferte laborem:
Adveniet tempus, quo vos meminisse juvabit
Haec graviora, habitura brevi mox tempore finem.
Nunc Gallis quodcumque petunt, concedite: si quid
Vobis eveniat damni, perferte parumper,
Nam data restituent, aut, si secus, Adria solvet.
His ita verba dabant. Rerum istis summa potestas
Sita erat in manibus! Sic in fatis quoque fixum
Heu fuit, ut pereat turpi Res publica casu!

LIBER III.

ATTAMEN, ut clausis quamvis fornacibus ignis,
Jure suo utatur; tamen, ut si ostendere vellet
Hic sedem esse suam, fumumque aestumque ministros
Emittit praeunte nota, parvasque favillas;
Sic licet acta tegant consulta fraude nefandi
Improbitate Viri, numquam latuere Senatum:
Et licet istorum rabie mens infremat acri,
Nemo Senatorum signis ignorat apertis
Francigenas noxasque dolosque fovere per istos,
Vt tuat Adriacum Regnum, nomenque vetustum.
Quo res summa loci! quos patres vidimus unquam!
Lex erat Adriacis antiqua ab origine prudens,
Ne liceat cuivis, patrio qui jure decorus,
Ore revelato, secretas pandere leges,
Provida quas sanxit foribus sua Curia clausis.
Turpe nefas Oratorem, Regumve Ministrum
Visere Patricio, alternas et reddere voces.
Dedecet atque etiam, si nobilis ulla taberna,
Sive domus teneant, illuc vestigia ferre.
Vae, qui spernebat legem! cita poena premebat.
Fertur at indubie quod sacramenta terantur,
Proh facinus! semper quod pandant omnia Gallis,
Inque dies duo Patricii consulta Senatus,
Et cum Legato contexant plurima Franco

Verba domi, fraudes concinnent, foedera pangan.t
Quid statuit de his admonitus, qui morte sacratas
Per leges plecti, furca aut suspendier alta
Sunt potius tanto maculati crimine digni,
Ipse Senatus? eos clementia vivere passa est
Falsa nimis. Coëunt impune, inhiante labello,
Concilio coram sua sensa reponit uterque,
Qui confrigenda funestat imagine gentem,
Sensa quidem patriae scelere exitialia tecto.
Quo leges abiere, et quo reverentia legum,
Quas veteres statuere pii, quae pectore quondam
Vsque fovebantur vigili? proh tempora moris
Discincti miseranda! Patres tunc triste periclum,
Quo fuerat propter sapientes Adria diros
Obruta, senserunt perfusi corda timore.
Nocte sub obscura quivis convenit in aulam,
Vt queat alterno rebus succurrere lassis
Consilio, et tristi medicamina ferre dolori.
Contigit in primis Pisauro solvere linguam,
Atque ita fatus erat: Quoties depellere mente
Fert animus, vestrum est tantum finire timorem.
Compede vos citius nocuos, quos noscitis, arcto
Hos vincite viros: gens non miserabilis ista.
Atque opus est armis obstacula ponere firmis,
Consilia ut pereant, avido quae corde volutat
Effraenis Bonapars teterrima: Creditis anne
Hunc servare fidem? num fas differre dolorem,
Cum ducturus erit nostras tota agmina in urbes?
Sit certum vobis: in nos sua lumina figit,
Nosque petit solum: saevos nos cernier hostes.
Ipse sibi palmas nostra contexere caede
Et fovet, atque studet: fraudes et nectere cunctas,
Vt ruat in nosmet, duro vinctique premamur
Servitio. An nondum experientia firma retexit
Incautos oculos? nondum quod contigit ipsis
Regibus Italiae, vos vos defendere suadet?

Tunçne eritis tuti, quando dominabitur ille
Finitimis? sopor heu qualis vos conficit! amens
Quis putet, ut Bonapars ardente cupidine pulsus
Argenti, atque auri, qui Italos spoliavit, et omnes
Imperio, et gazis, portus contemnere nostros,
Et navale, ratesque velit? neque curet, et optet
Divitias populi, atque aeraria publica fortis?
Proxima cum teneat castella, iter explicat acer
Ad nostras urbes, capietque quidem: putat hostes,
Credite, nos illos, qui obsistere possumus atro
Consilio, immitis quo cuncta invadere tentat.
Cogite vos citius quavis regione cohortes,
Et firmate urbes multo tutamine vestras,
Conciliumque Europae indicite regibus: omnes,
Adsint ut votis, toto nunc corde ciemus.
Forsan et Europae donabunt ista salutem.
Dixerat, et nullus tantis sermonibus audet
Addere verba, licet Battaia confremat ore.
Tunc statuere Patres, flammatis cordibus intus
Belligeras revocare rates, nautasque, veloces
Atque breves, quae urbes pelagi tutantur Eoi.
Sollicitare et opus ratium, quas multus in amplo
Artificum numerus Navali fabricat, in quo
Suppetit, immanis quamvis obsistat Enyo,
Pix, enses, sulphur, quaevis et machina bello.
Hoc erat Adriaci signum Navale decoris,
Priscae et virtutis, Veneti quam corde fovebant.
Protinus innumerae naves se ferre per undas
Cernuntur liquidas, quae Vrbis sunt moenia nostrae
Hostibus invisa, et quae nunquam robore fracta
Hostili fuerant, in queis gaudere videtur
Impavidum Natura locum, sedesque beatas.
Armorum strepitus, cum miles spicula tractat
Se exercens manibus, resonant: et milite multo
Vrbs quoque nostra feris Gallis stipata minatur.
Vrbs quoque nostra feris Gallis stipata minatur.

Atque etiam Italiae nostras demittit ad urbes
Intrepidos bellatores, juvenesque valentes.
Histria, et Illyrium, Eliadumque Epirus equarum
Terra ferax, in quas tantis dominamur ab annis:
O quantos Corcyra potens, Cephalenia tellus,
Alta Cythera viros, et Neritos ardua saxis
Mittitis auxilio, nec non Laërtia regna:
Mittis et ipsa tuos etiam nemorosa Zacynthos:
Insula quaeque tuos pontum posita inter utrumque,
Tu, quamvis non ampla, rata quoque parte dedisti.
Totius et classis praefectus Nanius amplae
Sedulus eligitur, qua nescio morte peremptus
Paullo heu! post fuerit, sive illum fata tulissent,
Sive dolus, poterat patriae dum ferre salutem.
Adria non felix! spes occidit, occidit omnis:
Nam tibi qui poterant grati praebere levamen
Occubuere umbris: obiit Rainerius: Emus
Excidit, atque animam generosus Memmius egit,
Et cecidere omnes, quos deflens ipse recordor.
Pendere militibus pravi stipendia ineptum
Munus erat Valaressi, qui haerebat amicus
Francigenis. Si unquam fuit haec sententia verax,
Quod soboles patrum naturam corde sequantur,
Nunc veram ipse vides: etenim hic a sanguine cretus
Corrupto fuerat. Narrent ambae acta columnae,
Quae surgunt Vrbis nostrae prope litus ad astra:
His fuerat mediis furca suspensus in atra
Infamis proavus simili cognomine dictus,
Qui Venetas urbes, Pelopis quas insula dives
Complectit, patriae venerandum exosus honorem
Foenore non timuit pacto concedere Turcis,
Qui simul ultores infando crimine moti
Fas odisse virum censent, et pendere poenas.
Interea nummus Veneta suspirat in arca,
Qui prius ingluviem Gallis sedaverat acrem.
Sumptibus est opus: anticipanda solutio cunctis

Civibus est census: cogunt consulta Senatus.
Tunc subito quamvis census persolverit aegre
Quisque suos anni delapsi tempore civis;
Attamen ipse, statim ac scitum perfertur ad aures,
Non modo vectigal solvit, qui agrosque domosque
Possidet aspiciens armatam navibus Vrbem:
Sed quoque cum populo certatim pondera laetus
Magna auri dedit, et, quae apta est ad bella supellex,
Donavit cymbas, enses, sua pectora: vestes
Militibus plures: clarum populique sequuntur
Vrbis et exemplum reliqui, licet undique pressi
Gallorum rabie, quorum furit ardor habendi.
Dulcis amor patriae donantes excitat illos.
Vestra fides, populi, longo memorabitur aevo,
Regibus et dicet Venetorum dulcia quondam
Regna fidem prorsus tantum meruisse, nec esse
Imperium, impietas vexet cum barbara, firmum.
O quam pertentat generosae pectora plebis
In patriam pietas educta parentibus ipsis,
Qui Venetos natis fastus narrare solebant!
Tunc etiam, quamvis ruerent celeri omnia gressu
Ad triste exitium, atque avido jam gutture Galli
Gazas suxissent, quas Adria dives habebat,
Larga tamen dat opes cumulato copia cornu.
Gaudet adhuc populus, quae ex prisco tempore mansit,
Libertate quidem, gaudet dulcedine regni,
Foeda libido licet Patres quasi frangeret omnes.
Ecce novum scelus, ecce dolum meditantur iniquum
Francigenae, subito rumor cum fertur ad aures,
Adria quod validam classem, atque paraverit arma.
Chirographum Venetis igitur, quod talia moeret,
Nec mora, demittunt, poterat quod vertere mentes;
Nam sic fucato sensim sparsere veneno,
Illos ut caperent, sed spes modo ludit aventes.
Cur, Veneti, tantas ardetis ponere vires?
Anne incerta fides nobis, qui numina coeli

Testamur, numquam fracturos foedera pravos?
Defuit anne fides unquam? variabilis anne
Ante fuit visa? et quamvis fortuna ferebat
Arma favens, dubitanda fuit? quid et amplius ipsi
Quaeritis, ut tuti pacto fidatis amico?
Austriaco tantum Regi nos bella movemus,
Inque illum nostram rabiem profundere curae est.
Hoc opus, et labor hic, regnet non amplius ille,
Quam tenet, Italiae in partem, atque valentibus armis
Concedat, nec adhuc nos bello, et fraude lacessat.
Se nostris Turcae, si vos concurritis, armis
Adjungent, nectentur eis quoque foedere stricto
Hispani, queis robur inest ex sanguine prisco.
Consulite, et vos fatorum concurrite cursui.
Pro meritis Italas vobis donabimus urbes:
Sub juga nostra cadent: multae cecidere recenter.
Forsan et auxilium Gallis praestasse juvabit.
Adria sed numquam recto de tramite flectens
Justitiae, generosa negat, promissa repulsat.
Non assueta dolo populos submittere, vidit
Sponte jugo potius cunctos se dedere dulci.
Et contenta sui, quamvis terna aequora circum
Imperio late moderetur, et inclyta tantis
Viribus ipsa suis, queis tutaretur adepta;
Abnuit oblatos toties immota animosque,
Virtutemque, fidemque sibi, qua exercitus optat
Galliam utramque, luit rapidis quam turbidus amnis
Vndis Eridanus, nostro conjungere regno:
Atque Oratores Adriae jura aequa stupentes
Demisit necquidquam urbes et regna dicantes:
Quid memorem Laudem Pompejam, teque Ticinum,
Quae Regum Italiae fueras celeberrima sedes?
Quid memorem atque Apulos iterumque iterumque negatos?
Nonne negat regnis te, opulenta Placentia, teque,
Palladis, et Phoebi studiosa Bononia cultrix,
Addere et ipsa suis, et te, Trinacria tellus,

Vndique fertilibus Cereris laetissima campis?
Interea Pluto Stygiis demittit ab undis
Agmen spirituum: Cunctas expromite vires,
Qua patet orbis, ait, nullas omittite causas,
Quae poterunt Gallis bello succurrere nostris.
Continuate alias hominum subvertere mentes,
Vt magis accrescat, congestis viribus, ipse
Napoleon, subigatque mihi validissimus, orbem,
Depulso quacumque Jove: ille in sidera regnet,
Si libet, et coeli dominus se jactet in aula;
Nam favet ipsa dies, nobis mentesque paratae,
Obsequiis natura meis nunc cedat ut omnis.
Hinc agite, atque Duci, modo ne remoretur eundo,
Quae ventura manent felicia pandite laeti.
Interea insidias, caecosque fovete tumultus,
Atque oculis coram velamina tendite regum.
Sic ait, et penna discedunt praepete jussi.
Non ita personuere avibus Stymphalides undae
Infestis nimium, generoso et ab Hercule pulsis,
Intonat ut nigrans fallaci hoc agmine coelum.
Iamque fremunt aurae, jactatur et alta cupressus,
Arboreaeque comae per longa cacumina montis
Sibila remigio excussae misere silenti.
Dux Misaretus erat sceleratior omnibus, ipse
Napoleonis adit placidus tentoria diri.
Humanam sumit faciem, juvenisque decori
Exhibet ille humeros: argento auroque refulgens
Cassida frontem ornat, laterique accommodat ensem,
Quae pendens lapides icit, crepitumque remittit.
In sua tunc Bonapars juvenem tentoria ridens
Excipit ignotum, et Misaretus talia fatur:
Sum Misaretus ego, Stygiis egressus ab undis,
Vt, Plutone jubente, juvem, memorandaque semper,
Inque dies populos victoria crescat in omnes;
Vt tibi, quae tacito claudunt velamine fata,
Quantum in me fuerit, referam, postquam Adria casu

Occiderit, citius quam maturare teneris.
Adria namque tibi spectanda est meta triumphi.
Hinc opus assumes, indicta tributa resolvet
Illa tibi, quae divitias, gazasque parabunt.
Nunc age, pange statim pacem cum Caesare, dona
Adriacas urbes, sequere et vestigia fati.
In Romam arma feres, quae Pastoralis honoris
Est Caput, atque Pium cernet Valentia Sextum,
Qui tandem oblongi vitam illic deseret aevi.
Ast eheu! quamvis vireant rabido ora veneno,
Et licet auxilium, vires tribuamus et omnes,
Invisique Sacerdotes toto orbe vagentur;
Laeta decore dabit Patres amplexa Sacratos
Adria Pontificem simili de nomine dictum,
In quem afferre manus, eheu! captumque tenere
Nil juvet, o Bonapars, major nam dextra tuetur.
Ipse Parisiacam accitus properabit in Vrbem,
Vt propriis serto manibus tua tempora donet,
Vtque tibi sceptrum sacret, regnumque opulentum.
Gallia te Regem, Regem te Œnotria tellus
Conspicuos venerata tibi persolvet honores,
Legibus atque tuis humili cervice premetur.
Aspice bis senos stridenti murmure corvos,
Quos fugat accipiter, recipit Verona fugatos;
Haud aliter viresque tuae, pubesque tuorum
Prosternent Venetos, quotquot moderantur et urbes.
Ni frustra augurium docuit me rector Averni.
Nunc perge, et qua te ducit via, dirige cursum.
Dixerat, inque leves Misaretus pervolat auras.
Parvula sic nubes coelo conspecta sereno
Perditur in vacuum, radios dum vibrat Apollo.
Obstupuit Bonapars, gressumque ad moenia tendit,
Austriaco pacem Regi proponere promptus.
Hinc oratores delectos ordine ab omni
Ire jubet rapide, Germanos poscere pacem.
Hos inter Massena dolis instructus in istas

Prorupit voces Ducibus coram, quibus omne
Austria crediderat fatum, propriamque salutem.
Italiae liceat tandem nunc cernere pressae
Ingentis finem belli, miserescimus ejus.
Sat dedimus nobis, famam jam terminat astris
Vtraque magnanimis acies bellata lacertis.
Nunc rabies positis mitescat mutua bellis.
Cana Fides regnet, ferro et compagibus arctis
Conticeant Jani portae, et furor impius intus
Dira sedens super arma, et centum vinctus ahenis
Post tergum nodis fremat horridus ore cruento.
Gallia cum vobis semper venerabile figet
Foedus amicitiae, juratque effringere nunquam.
Nos operam dedimus: certe nostra Adria dextra
Concidet: hoc regno dabitur considere vobis,
Postquam optatae libertatis ab arbore foetus
Menses gustarit tantum plebs ipsa per octo.
Bis novies Jani mensem fulgore diurno
Ignivomus sparget Titan, cum miles ad oras
Adriacas vester proras advertet aduncas.
Vestrum erit optatum Venetis imponere fraenum.
Sic ait, haud fundens sceleratus inania verba.
At Dux Cyrnaeus quovis crudelior hoste,
Qui prior ante fuit, quoniam se milite cinctum
Viderat Austriaco, et vitam propiore periclo
Vrgeri, aut caeco captivum carcere claudi;
Foedera tractatum Massenam miserat isthuc.
Ergone debebant Venetorum regna salutem,
Et vitam libertatemque offerre scelesto,
Carius et pretio mercari damna futura
Totius Europae, atque levamina dulcia cordis,
Quae lex promittit populis divina misellis,
Abripi ab Italia, gemitusque sonare per orbem
Attonitum squallore gravi, tot bella foveri?
Atque ubi fas versum, atque nefas, terrere per urbes
Heu nos tam multas scelerum faciesque, minasque?

Anne videre fuit, quod non datus ullus aratro
Dignus honos, squallere abductis arva colonis,
In rigidosque gravem falcem conflarier enses
Excidium in nostrum renovatis cladibus usque?
Heu tandem, Austriaci, nunc nunc interprete lingua,
Fata futura palam vobis quae indigna minetur,
Praemoneat quivis. Temerati sumite poenas
Cyrnaei tandem: deplorandumque venusta,
Viribus emissis, Europa avertite vulnus:
Italiaeque probrum gladiis abolete futurum.
Hic est, quem demens humani sanguinis ardor
In fera bella trahit, foedique insania furti:
Atque sui nondum satiatos sanguine regis
Ducit in arma viros aliorum pectora aventes.
Nonne subit quoties lusit jam foedera fallax,
Vendidit et quoties variae perjuria linguae?
Scilicet et tempus veniet, cum perfida bella
Austriacis renovabit adhuc fatalia: Hymenis
Proculcans leges scelerato crimine, justo
Francisco rapiet, quotquot Germania claudit
Legitimas urbes, majestatemque vetustam
Imperii: quot et in tectis regalibus iras.
Instigabit hians natos interque, patremque,
Innocuumque statim tentans invadere regnum.
Heu quot regna cadent, quot reges tempora cinctos,
Vndique legitimis pulsis, indigna coronis
Aspicio frendens, ultura et concitus ira!
Et quanta pietate gemens, in carcere flentem,
In quem laesuras dextras non horruit atrox
Mittere Cyrnaeus, vilis ludibria plebis,
Pontificem aspicio, quo non est sanctior ullus,
Praesidium nostrum, et quassae tutamina navis!
Quocumque attonitus vertor, quot in aethere luctus,
Et gemitus late resonant ululatibus altis!
Non tot in autumnis constrictae frigore primo
Arbore desiliunt frondes, ludibria ventis:

Nec tot falce metit copiosa per arva colonus
Flaventes aestate semel contentus aristas,
Quot juvenes totis invisa superbia terris
Heu sibi mactabit raptos discrimine nullo!
Immo barbariem superans atrociter ipsam,
Naturamque novans, plurisque carentia sensu
Ille putans quam nos, juvenes ad bella quotannis
Ter metet, et terram immaturo sanguine sparget.
Sanguineas convolvet aquas praedives Iberus,
Quot juvenes frustra clamantes obruet Ister,
Quot Borysthenes galeas, quot Vistula volvet
Corpora acerba virûm! heu nostros, selecta juventus,
Medoacus rapiet, fluctusque Athesisque Padique
Semianimes ducet pueros in caerula, et undae
Lambentes querulo ripas tunc gurgite flebunt
Heu nimis excidium subitum! tantisque virorum
Funeribus Rhenus cursu violentus et unda
Illico sistet aquas tacito cum murmure lentus:
Horrebitque Tagus, gemitu venuetque coactus
Indigetes juvenes propriis devolvere in undis:
O quam Cyrnaeus concussum terruit orbem!
Nunc agite, ante truces properent quam volvere Parcae
Talia fata: dies apta est removere dolores:
Et nunc, cum dubio Bonapars discrimine vitam
Trux agit, eja manus generosi militis ense
Perfodiat medio immiserandum agmine corpus.
I, miles, cito curre, tuum audax dejice telum.
Ast aliter statuere Dii: jam foedera pangit
Pacis, et istius fuimus nos praemia pacis.
Attamen, ut faceret fucum, caecique manerent,
In Venetos Bonapars vafrum simulabat amorem.
His iterum fundo nummus suspirat in imo,
Nam dederat bello Gallorum pabula nummus,
Pavit et ingluviem. A quo tota pecunia fonte
Elicienda foret, lapsis succurrere rebus
Quae valeat, quaerit concussa mente timore

Quisque Senatorum: quisque et sua verba reponit.
Conticuit nimium, tandem surrexit, et ora
Improba tunc voces Battaia solvit in istas:
Quae vos, o Patres, Venetûm o delecta Senectus,
Anxia cura tenet? nulli submittere mentem,
Credite, fas metui. Rident altaria pulchro
Argento, atque auro: sunt haec bona publica, vestris
Vsibus aptantur: praesentia tempora poscunt.
Hinc jam divitias, atque hinc deducite nummos.
Non tulit indignans, grandi et tunc Memmius atra
Ipse supercilio Battajae sensa refellit.
Memmi, chare senex, decus et pars maxima vitae,
Praesidiumque meae, cujus quot verba, tot ardent
Judicia in tabulis sculpenda e marmore in aevum.
O utinam, Bernarde, tibi indivulsus ut olim
Ipse forem comes, ingenua nos arte doceres,
Ingeniumque tuo fieret moderamine clarum.
Sic igitur vibras doctae tua fulmina linguae:
Heu pudeat, pudeat manibus spoliare profanis
Templa dicata Deo! dignum coelestibus usque
Surripuisse decus nondum satis est? bona sacris
Rapta viris nondum fuerunt satis, atque voraci
Illa sibi rapere ingluvie? quo tenditis? inquis.
Non plus ultra est fas vestrum contendere cursum.
In sacra cur primum digitos infertis, et altum
Continuatis adhuc coelum compellere bello,
Vt vindex in vos aerumnas depluat atras?
Esse Dei perstant, hominis quae dantur in usum:
At cum sponte suas devoti offertis ad aras,
Sunt magis ipsa Dei. Cur fas mortalibus ergo,
Quod jus omne negat, furaci tangere dextra?
Quaerite divitias alio, et tutamina fonte.
Nam Deus omnipotens vigili sua templa tuetur
Lumine, nec sinit esse manu violata profana.
Dicite quot proprio solverunt sanguine poenas,
Qui temerare pias sunt ausi Numinis aedes:

Sacrilegumque nefas quaevis vel sanguine gaudens,
Barbara vel tellus haud expers esse putabat
Supplicio: ultorem Martem, vel Pallada finxit.
Nonne tuum sensit crudelia verbera corpus,
Heliodore, quibus coeli demissus ab arce
Angelus oppressit Solymam templumque petentem,
Vt raperes furto nummos, et vasa scelesto?
Eheu, dum memini, Patres, pavor occupat artus,
Et gelidus per membra coit formidine sanguis!
Aspicio juvenesque senesque recedere recto
Tramite, lascive et mores violare vetustos,
Spernere justitiam exleges, et temnere Numen.
Mutati mores sortem vertere faventem.
Relligioque sacra est, nodosa ut vincula quaedam,
Ordine quae cuncta hoc annectit in orbe stupendo.
Annulus atteritur, praeceps dissolvitur ordo.
Neve manus igitur templis immittite vestras,
Quaeque Deum Dominum noscunt, haud audeat unquam
Tangere dextra rapax, aliosque invertere in usus.
Dives adhuc stat opum populosa copia in Vrbe:
Poscite jam cives decreto foenore nummos.
Aut patriae nos partitum expendamus amantes
Argenti pondus, res quo fulcire labantes.
Tum fremitus reboans mediam se ferre per aulam
Auditur tacite circum, et ferus ardor habendi
Pectora constringens dicenti verba negavit,
Et vetat afflictis patriae succurrere rebus.
Hinc videas numerare sibi suffragia pravum
Prospera Battajam. Quid opum vesana cupido,
Quid non impietas mortalia pectora cogit?
Abriptur templis aurum; atque argentea sacro
Vasa ministerio apta; nec ulli barbara parcit
Impietas operi, pretium quod vinceret: uncis
Raptatur manibus: subito in fabrilibus antris
Hic numerat corbes pretiosi ponderis: alter
Quot libris superet, scrutatur lance metallum:

Ille focos carbone onerat, vastosque caminos.
Omnes incumbunt operi, qui viribus usi
Praecipitant, removentque moras: pars follibus auras
Accipiunt, redduntque, cient et fomite flammas.
Æstuat et fornax, aurum fornace liquescit,
Redditur in virgas: reboat tunc ictibus incus
Crebris, atque illi multa vi brachia tollunt
In numerum, versantque tenaci forcipe virgas.
Cuditur in nummos argenti pondus: acervus
Francigenis ingens gazarum atque inde paratur.
Jam fata infracto volvebant tempora filo,
Quae dominis Adriae semper suprema ruebant,
Tempora dura quidem! Vt fulmen disrumpitur alte,
Sic quoque Gallorum dolus insidiaeque patescunt.
Attamen haud satius. Patres sunt lumine laesi,
Tortilis ut denso serpens in gramine reptans
Noscitur, in trepidas aures cum sibila mittit
Progredientis iter, crassumque effundit odorem;
Sic videt insidias, sibi non tamen Adria credit.
Hoc Octolinus sensit, qui Bergoma dulci
Imperio rexit, paucos novitque rebelles.
Concutiturque metu, Battajam commonet ipsum,
Quaerit et ignotae quae sit sententia mentis.
At Battaja dolis cautus per scripta remittit
Haec sua sensa: Hominem, qui talia credidit, inquit,
Ipse mihi defer, majora ut lumina possint
Inde trahi, quaevis citius vel parvula defer;
Namque nihil diro contemnere tempore fas est.
Qui patriae praesunt: debent opponere pectus
Forte nimis: etiam fractus si labitur orbis,
Impavidum ferient vastae firmumque ruinae.
Ne timeas igitur; si quis perversus et audax
Infandum Libertatis defigere tentet
Arborem humi; tu vires, atque obstacula pone,
Et sontes solvant meritas te vindice poenas.
Ipse vias lustret, perpurget et ipse satelles.

Si qua nova eveniant, quaeso, complectere scriptis,
Vt monitus valeam moestis succurrere rebus.
O cuinam mandata fuit Res publica civi!
Arte dolisque suam simulat Battaia mentem:
Nam prius ignarum motus se ostenderat hujus:
Postea persuadet paucas opponere vires,
Dum patriam totis cives defendere vellent:
Intereaque Octolino hoc discrimine nullum
Praestat consilium, et res jam procedit, ut optat.
Nam venit ipsa dies, fulmen qua rumpitur atrum:
Ipse tumultus ovans nullo velamine fertur
Per fora, perque vias: Arbos extollitur atra.
Centum eheu! fuerunt, decies et quinque virorum,
Qui mala tanta parant, malus et dux Lecchius illis.
Libertas, et io Bonapars tunc perfida turba
Clamat, et in Venetos amentia jurgia Patres
Jactitat, atque metu nullo, nulloque pudore
Itur in omne nefas. Heu! fructus amabilis hic est
Hic Libertatis ficta dulcedine fallens.
Vna quidem hora tibi, qua excedere Bergomi ab urbe
Fas, Octoline, arcto ne sis compede vinctus.
Interea Bonapars civili crimine gaudens,
Aspicit, atque capit vultu nova gaudia saevo.
Sic Lupus, in pratis pecudes dum ludere cernit,
Æstuat ingluvie, densis in vepribus haeret,
Ne pastor videat: si sors objecerit aptum
Tempus, mandendas celeri pede currit ad agnas.
Fama per aetherias haec inter praevolat auras
Promptior usque mali praenuncia tristis: in Vrbem
Mobilibus Venetam pennis descendit: In ore
Innumerae plumae, pedibus figuntur et alae
Spargit et innumeris circum mala tristia linguis.
Tunc populo Adriaco gelidus per cuncta cucurrit
Ossa tremor, maduere genae, dolor inficit ora.
Pervenit ad Patres scriptum, coëunte Senatu,
Quod nequeunt vigili Sapientes abdere curae.

Ingemit, et tanto premitur succurrere luctui.
Cornelium, et Pisaurum absque ullo crimine cives
Demittunt questum de seditione scelestûm.
Jamque Bonaepartis moesti tentoria visunt,
Sistunt, atque dedit Pisaurus ab ore loquelas.
Quidnam in te sceleris sontes commisimus ante?
Quot juvenes audere in praelia vidimus acres!
Vos quoque jam, Venetis quae sit fortuna, videtis
Vrbs antiqua labat tantos dominata per annos.
Siccine amicitiae monstratis foedera nobis?
Siccine sollicitae vosmet succurritis Vrbi?
Nunc Crema armatis manibus, nunc Brixia vestris
Cogitur Adriacum deponere libera nomen.
Anne tibi fuerat labor explorare quid optes,
Et fuit, o Bonapars, tua jussa capessere nostrum?
Poscis adhuc nummos? sed nunc aeraria nobis
Vos propter demulsa parum decurrere possunt.
Si quid adhuc restat, nobis desumier inde
Praesidium fas est, nostrae causamque salutis.
Heu nummos poscis (tua nec sententia nosmet,
Crede, latet) nostras ut vires frangere possis.
Jam memini promissa, mihi quae voce dedissi,
Quidque boni abs te sperabat Respublica, quando
Goritiae alterno tecum sermone loquebar.
Te pudeat Venetos tandem deludere verbis.
Certa errat cunctas populi nunc fama per aures
Esse quidem Gallos damni irritamina tanti.
Nec vetat ulla fidem res: re convincimur ipsa.
At Bonapars saevos oculos vibravit in illos,
Colligit os rabiem, torquet vis caeca furoris,
Perfidus et linguam voces dissolvit in istas:
Ergo qui toto reges tremefecit in orbe,
Ferre potest animo verba haec lasciva sereno?
Non ego causa mali, fuerat Respublica, nostrum
Abnuit auxilium, dum animus praestare volebat.
Seditionis, ait, maculas cur crimine Gallos?

Vana, proterve, canis curnam mendacia? Justis
Francigenis modus haud fallendi est cognitus ullus.
Nonne patet, quod avet potius nos vincere bello?
Ipsa parat naves, gladiis praemuniit urbem,
Insuper et populis ignem, atque arma ministrat,
Sternat ut infesto Gallorum corpora ferro.
Haud ignota loquor: constricto villicus ense
Aggreditur Gallos; instigat ad ista Senatus.
Excidii, mortisque sonat clamoribus aether.
Ergo dum tota Europa almae foedere pacis
Gaudeat in praesens, Veneti nova praelia soli
Optabunt, cupientque audaces? Gallica magna
Gens quoque percellet populum formidine segnem;
Posce igitur Venetos, quae sit sententia menti,
An pacem cupiant? reparent quae damna tulerunt;
Sin minus, absque mora bellum perterreat ausos.
Omnia sint vobis vincentes aequora naves,
Navita contemnat ventos bene cautus iniquos,
Vallet et invictis Vrbem Rex aequoris undis;
Jam facile vestrum potero contingere litus.
Officiosa mihi, juro, se praeferet unda;
Hostis ero vobis, ferro populabor et igni
Gazas, atque domos, atque alta palatia, pisces
Cogar ego, ut primum, calamo vos fallere, et hamo.
Dixerat, et conscendit equum, qui cruribus alas
Albus habet, dicturos plura aufugit eundo.
Pneumacacusque illi nomen, qui naribus ignem
Volvit, et expirat celsa cervice superbus.
Crinibus ille micat strenuus, micat auribus altis,
Stare loco nescit, simul atque sonum arma dedere
Vt Lupus insontem vincens follacibus haedum
Exultat verbis, et jamjam protrahit ungues,
Fiat ut esca sibi; Bonapars sit gestit eundo.
Sperat enim brevius Venetis imponere leges,
Queis saevus rapiat gazas, nomenque superbum.
Interea armigeri in mediis comitante caterva

Consistum juvenem castris: tentoria furtim
Napoleonis adit generoso pectore firmus
Tollere eum ferro, vel certae occumbere morti:
Non illo invento, tantum sors deficit ausum.
Hunc furem quaedam voluisse abducere credunt.
Ante Bonapartem statuunt, qui venerat illuc.
Quas meruit latro, det poenas improbus, inquit.
At capite ille minor, manibus post terga revinctis,
Et quamvis miles certet deludere capto,
Talibus ipse tamen dictis dissolverat ora.
Heu quoniam indicta causa insuperabile fatum
Me manet, o liceat saltem me promere voces.
Non ut credis, ego culpandus crimine furis,
Sed studium innocuum, quamvis sit inane, videndi
Castrorum formam traxit, tormentaque belli.
At si pauca, puta, rapuissem solus, inermis
Ergone deberem morti supponere collum?
Latro vocandus ego? quonam tu nomine cunctis
Ipse vocandus eris, qui multo milite totas
Vrbes furando lustras? coelestibus aequant,
Induperatoremque vocant? o insania mentis!
Auferte hinc hominem, Bonapars ira excitus inquit;
Atque statim petulans claudat sua lumina morte.
Improbus ecce fremit veras audire querelas,
Et fur naturam metitur in omnibus aequam.
Abstrahiturque miser, generosus mortis acerbum
Discrimen spernit, convicia militis aufert
Dulcibus at verbis: Quae lex, aut jura revelant
Posse homines homini tantas inducere caedes?
Vos bene dejicitis reges a sedibus altis,
Qui saevis hominem imperiis dominantur in omnem.
Atque quidem (pudeat) nullus de regibus extat,
Munera qui regis quammaxima compleat aequi:
Quin pater in populos exercet jura tyranni.
Sed vos compedibus mortales solvitis aegros,
Vos etiam lucem donatis, carcere aperto,

Servitii et nomen fuit execrabile vobis.
Liber ego, modo quem fecit sententia vestra,
Effundam vitam manibus post terga revinctis?
Conditione pares quoque nos fecistis, amici.
Ergo quid merear, si plurima habentibus ausim
Ex parte esse parem, cum non mihi fulgeat aurum?
Quomodo vos auri pondus, nunc dicite, habetis?
Doctrinam hausissem, vobis auctoribus, ipse.
Et plectendus ero infelix, latroque vocandus?
Si male respondi, qui vestris imperat armis,
Induperatori, dolor haud mea pectora turbat;
Namque meam tenuit verax sententia mentem.
Jamque audire satis, jamdudum sumite poenas.
Hoc tantum haud lateat, mihi si unquam pectora furtum
Captasset, tristis memet carpsisset egestas.
Dixerat: incertus studia in contraria miles
Scinditur, atque alii miseranti corde salutem
Decernunt, alii fas jussa capessere suadent.
Hi mortem misero majori parte requirunt,
Et pars tunc major pertraxerat atra minorem.
En miserum mediis in castris milite cingunt:
Vitta oculos caecat, stringunt quoque vincla lacertos
Linea, sed ferri tunc fortia vincla relaxant.
Jamque viri gressum retrahunt ad vulnera deni,
Inque loco sistunt, qui paullo distat ab illo.
Dena gravi strepitu tormenta ferocia glandes
Fulmineas jactant. Ast, o mirabile dictu!
Nescio quo fato, quaenam tutamina nulli
Visa viro rapiunt medio de turbine laethi.
Nam, quamvis recta ad miserum contendere pectus
Debuerant glandes, subito intonuere fragore,
Atque vias signant curvas, et limite sulcus
Curvo dat lucem: rutilis splendoribus Iris
Cernitur effusum; radiare per aethera vivax.
Credideram extinctum: vestem vix unica adurit
Glans, procumbit humi vitam mox linquere visus,

Ore suo nullas captans et naribus auras.
Pallorem natura dedit, simulare negatur,
Atque levi roseus manat de vulnere sanguis:
Ille quidem vitam prorsus fudisse putares.
Longius ire parant ergo, exanimemque relinquunt.
Ille oculos reserat placidus, nullumque revisit,
Anxius in gyrum vertit, nec viderat ullos.
Gaudia magna suo concepit pectore laetus,
Et subito nodos, ac linea vincula rupit.
Surgit, et ambiguo gressu per gramina campi
Carpit iter fugiens, donec trepido exiit altus
Corde metus, fuit et timidis mens libera curis.
At, si terror abit, non illi spumea cessit
Ira sinu, et tantum mitescere nescius ultor
Constituit punire nefas: nec cura morantem
Invenit, et circum quisquis sibi pervius adsit,
Accit ad arma virum: populata per arva colonos
Pellit, ut in Gallos convertant rastra, bidentes,
Vomere neglecto, et falces, curvosque ligones.
Ergone, dicebat, dulces vos linquere campos,
Vos patriae fines, tenerosque abducere natos
Fas erit, et longe erratis vos finibus ire?
Barbarus hac segetes, et campos miles habebit?
Haec ait, atque dabat vindex violentia vires.
Jam facile potuit verbis accendere turbas
In sua damna oculos madidos miseranda ferentes.
Sumunt arma viri, et numquam deponere jurant,
Ni pereat totis infractus viribus hostis.
Gallica saeva cohors in funera nigra ruisset,
Atque locustarum rabies et spicula fracta
Forte forent prorsus, Latii aut de fine repulsa,
Ni pulchrum facinus vecordia jussa vetabant.
Tempus erat, Veneti quo bacchanalia agebant
Patricii circum. Ast, dum tanta pericla tenerent
Vrbes, mensa cibis fumabat singula lautis;
Vltima, habet crassis quae hebdomada nomen ab escis,

Splendida majori suadet convivia luxu,
Inque cibos jurasse putes: post prandia ludi,
Et personatus, potae ceu Moenades olim,
Per fora, perque vias it bacchanti agmine civis
Nil sibi quisque timens: credas solatia pacis.
Hinc Jove postremo Patribus Dux prandia miscet.
Lauta quaterdeni celebrant convivia et unus,
Quorum plura Ducem Venetis suffragia donant.
Conveniunt Oratores ad prandia, quorum
Tempore pacis erat nostra consistere in Vrbe
Foederis in signum nos, Reges inter et ipsos.
Accipe, amice, modum, nostros ut conscia mores
Mens stupeat, quem cana dedit sapientia, ne fraus
In Ducis electu ulla regat suffragia nostri.
Cum Dux deposuit sensus, et lumina clausit,
Concilium subito Magnum concurrit in aulam.
Tunc totidem, quot Patres sunt, suffragia caeca.
Vrna tenet: ducta triginta sorte puellus,
Quem pietas natum incerto patre publica alebat,
Extrahit ante viros, favit quibus aurea sphaera.
Sortitum praeco quemvis denunciat alta
Voce: statim excedunt consanguinitate propinqui,
Concilii et quisquis Magni discedit ab aula.
Hic sistunt triginta, quibus sors faverat: ex his,
Sortibus eductis, fortuna novem eligit aequa.
Voce quaterdeni tacita releguntur ab istis.
Bis seni ecce iterum. Inde novem suffragia pandunt
Bis senos et quinque viros: patrumque bis octo
Detrahitur numerus: remanent hinc vase reducta
Sorte novem: atque quaterdenos et quinque virorum
Hi relegunt iterum, de queis undena superstes
Turba quaterdenos Patres, quibus additur unus,
Enumerat tandem, quorum suffragia quinque,
Et bis dena Duci statuunt ex lege coronam.
Hinc tribus aspicias plausus consueta diebus
Signa dari: panes, nummos, et munera Bacchi

Laetanti populo, et gelidos magnatibus haustus,
Mellitasque dapes lychnis splendentibus aula
Tota imitante diem large struxisse penates.
At prius in puteo (Veneti sic nomine dicunt
Abjegnum solium) in platea, perque atria circum
Gestatur Princeps; qui, tamquam Jupiter olim,
In populum auratos copiosus projicit imbres.
Haec ratio, titulum qua Dux effertur in altum.
Quid tamen ista juvat? serpsit dolus ater in istas
Ambages sortis: liceat nos dicere verum:
Empta Ducem Venetis statuunt suffragia rebus
Rectum animo certe, sed non se opponere firmum
Tantorum sceleri, nec belli ad tempora natum.
Hoc Jove quin etiam redeunt spectacula multis
Mira modis: conferre canes certamina tauris:
Cornibus hi certant, certant et dentibus illi:
Mugituque boum, atque canum latratibus aether
Intonat, et populus magna stipante caterva
Ante Ducem voces plaususque ad sidera mittit.
Postea conveniunt plateam: a turri evolat alta
Per funes demissus homo, qui carmina praebet
Scripta Duci in chartis faustum celebrantia festum:
Hinc rapidus sursum deorsumque ter itque reditque.
Ante duas pulchris extollitur alta columnas
Machina structa modis omnes variata per annos:
Pulvis, quem retinet circum in se charta retorta,
Vespere nitratus variantes explicat ignes,
Artibus et miris oculos populi allicit omnes.
Hinc, atque hinc duplex fictam componere pugnam
Factio conspicitur, Veneti dixere Morescam.
Circumit haec baculos pulsansque agitansque vicissim.
Exerit una suas expertas factio vires:
Altera succedit, plausus et ab hac, et ab illa
Excipitur populi, reboanti vocibus aura.
Stant homines validi distincto jam agmine plures,
Inque humeros portant prope laevia ligna valentes,

Atque solum faciunt: super unus scandit, et alter,
Et semper decrescenti quoque acumine scandit
Altera turba super: coelum superare putares,
Montibus ut quondam impositis petiere gigantes.
Vnius atque super crines obvolvitur altę
Tunc pueri vertex, pedibus et commovet auras.
Mille modis variant ludos meliore palaestra.
Plebs plaudit judex inter discrimina pugnae;
Famaque victores tollens circumvolat Vrbem.

LIBER IV.

Standum est promissis, quamvis Gens Gallica sacras
Conculcet leges, naturae juraque spernat.
Abnegat ipsa Deum, vel saltem credere fingit.
Opprobriis vexant Christum, Christique ministros:
Quaelibet ipsorum Deus est insana cupido,
Inque mala unca trahunt juvenes exempla salaces.
Italia, Italia, augustum tua vota peroptant
Perdere nunc cultum, quem pectora mille virorum
Sanguine profuso confirmavere per aevum
Innumerum, scriptisve suis gravitate coruscis!
Indocilis perdes, qui jam tibi mille par annos
Lenibat curas, et fata asperrima vitae.
In nova fert animus descendere dogmata turpis?
Disce nova: at novitas objecit saepe periclum.
An novitas reddet meliori sorte beatum?
Hei mihi! quod dubiis lacerantur corda molestis,
Vndique nulla Fides: abitura per aethera inanis
Aspiciet calido grassantes sanguines caedes.
Hinc furtum, hinc lites, atque hinc fallacia lenta,
Hinc multas scelerum facies vindicta novabit.
Cognoscent sero, amissa et virtute pudebit.
Nonne opus humanae excellens sunt lumina mentis?
Haec aufer caeca speculare cupidine ductum,
Tunc homo erit brutis, heu! crede, ferocior ipsis.

Heu fuge, dum restat tibi adhuc mens sana, periclum.
Promissis igitur standum, quae fecerat olim
Austriaco Bonapars Regi, quae obstricta per octo
Jam revocanda annos. Durant sic verba, fidesque
(Ne stupeas) hominum, renegant qui cuncta, malorum.
Aggrediendum opus est Veneteos deperdere caecos,
Amplius haud fas est mendacia fingere blanda.
Nec mora, Cyrnaeus revocatis undique turmis,
Veronam ingreditur foedandam sanguine tetro,
Innocuoque simul, jubet et contendere bello.
Haud modus, haud monitumque Viro, qui praesidet Vrbi.
Parrhasis obliquos Helice tunc verterat axes,
Et labebatur medio nox humida coelo,
Cum celsa ignitas glandes jaculatur ab arce,
Et tormenta vomunt ignes tunc bellica tetros,
Et mage terrificam pallentia fulmina fumo
Jam foedant noctem, quae atra circumvolat umbra.
Jam domus alta Viri, Praetor qui praesidet Vrbi,
Corruerat rapidi lacerata a viribus ignis.
Tunc quoque et horrificum exemplum castella sequuntur,
Quae cuncta hostis habet. Diffunditur undique squallor,
Vndique et horrenti strepitu tunc insonat aether:
Rupta domus sternunt a culmine fulmina multas.
Per fora, perque vias reboant suspiria, planctus,
Ingemit et fletu quisquis sibi fata pavescens
Vltima, et expansis superos ad sidera palmis
Auxilium poscit, tremulusque ad templa recurrit.
Dum tamen in tanta trepidi formidine motus
Pars populi deflentis erat, noctemque supremam
Jamjam, quisque sibi, aeternae similemque pavebat;
Ante Bonampartem sistit se villica turba,
Vndique quam numero ingenti congesserat ille,
Qui nuper capitis poenas evaserat, audax:
Et sic ille fremens voces dissolverat istas:
Quidnam in te sceleris sontes commisimus ipsi?
Num tua terra, gravi quam nos versamus aratro?

Anne tui fructus, miles quos improbus aufert?
Barbarus has segetes, et culta novalia habebit,
Atque tibi miseri nostros consevimus agros?
Nonne licet nobis, vastis qui vivimus arvis,
Quod genus, unde domo venias cognoscere vili?
I, repete et lanium, et patrias tu sordidus artes:
Nos tibi, Napoleon, usquam servire negamus.
Adria, dulce decus, semper versabitur ore,
Adriae et insculpto signentur nomine quercus,
Et resonent fontes, atque, alta cacumina, montes
Regrediens sylvis referant venerabile nomen.
Anne putas aliis major num fortior esse?
Quisquis es, haud dominum temet regnare feremus.
Perfide, latronum tu diceris ultor, et osor,
Qui sis prae cunctis majori crimine latro.
Ægyptum multo vastasti milite opimam,
Bruxellas retines, Batavi spoliantur inique:
Vrbis quoque nulla manus potuit vitare rapaces.
Nunc popularis agros, nostrae spes maxima vitae,
In pecudesque manus gladiis extendis onustas?
Quid tibi divitiis opus est, cui tanta supersunt?
Cur quo plura tenes, studio majora requiris,
Vt, quibus intumuit suffusis venter ab undis,
Quo plus sunt potae, minus atque extinguitur ardor?
Si mortalis homo, paveat sub Numine vita.
Dixerat, atque alii submisso gutture mussant.
At Bonapars, illum passus nimis ore loquentem,
Postquam Francigenum ampla cohors advenerat illuc,
Tutus ab aggressu verbis sic arguit illos:
Tantane cor tenuit petulans audacia vestrum?
Accelerate fugam, poenis delicta luetis.
Postea cum, tanquam torrens, concrescere turbam
Aspexit, justis dedignans vocibus aures,
Prosequitur bello Veronam adfligere saevo.
Lucifer interea crines expanderat albos,
Demebatque aegras fulgore per aethera stellas,

Et vix torpescens agitatis emicat aër
Puniceis, quibus est formosa Aurora, capillis,
Alipedumque jubis: nondum cessaverat horror,
Quem magis incussum tenebris nox auxerat atris.
Eripitur miseris quaevis spes usque salutis:
Hoc videt et populus: tunc in contraria fertur:
Angit et ancipiti sententia pectore cunctos.
Ergone cedendum, Gallum an perdamus iniquum?
Pectora sed fulcit tantae praesentia turbae
Sub Duce magnanimo, quem sors servaverat ausis,
Auxiliaturo populis conamine lassis.
Ista etiam ille refert populo squallore labanti:
Quae vis, quae, cives, tanti discrimina casus
Vos cohibere potest, tetrae ne perfida mentis
Ensibus ulturi primum tentamina sitis?
Heu subeant nati: si non obstetis, iniqui
Servitii miseris immitia vincla paratis.
Expedietne (nefas!) vobis in munere tanto
Desidia torpere gravi, atque audire precantes,
Atque ausos toties natos percellere diris
Perfidiem vestram, per quam in mala tanta ruerunt,
Quin pietas servet querulos, gemituque fluentes?
Principiis obstate citi: si perditis horam,
Cedet in adveniens cassus labor: omnia Corsus
Hauriet arva vorax, oculosque ad damna relinquet.
Sic ait, et quivis vehementi efferbuit ira.
Protinus iratos nec vis, nec fraena coercent.
Vrit amor patriae populum, furor arma ministrat.
Æs quoque triste sonans iteratis ictibus omnem
Vndique perfusam plebem compellit ad arma.
Currit ad arma micans, ut apes, quae examine longo
Perlustrant agros: pars sese exercet in hortis
Narcyssi lacrymas sugens, ex cortice glutten,
Parsque thymi succos lente degustat amaros.
Ast florum oblitae, tum si sonus increpet aeris,
Tunc et jam celeres redeunt, studiumque laboris

Melliflui repetunt, et sparsi mellis amorem.
Vt Scythicas quondam produxit Amazonas aetas,
Quae medias inter caedes, interque cruorem
Exsultant, sectisque agitant picta arma papillis,
Et crebris avidos implent terroribus hostes;
Moenia sic quaevis percurrit foemina circum,
Arma furens versat, rutilisque ardoribus ora
Perfusa exclamat feriens ululatibus auras:
Ferte citi ferrum, date tela, et scandite muros:
Obvius hostis adest: citius praecidite ferro.
Tunc Galli vires populi furiasque stupentes
Corde metum capiunt, sese defendere bello
Quisque parat, densum campo stetit agmen aperto.
Principium pugnae; campo populusque ducesque
Spe laudis vires acuunt animumque vicissim.
Clamorem excipiunt Galli, fremituque sequuntur
Horrisono, Ballandus equo conscensus ad arma
In populum socios contorquenda excitat omnes.
Attamen Æmilius populo Dux praesidet acri,
Et jubet ipse suos ignitas solvere glandes.
Vt Leo laetus ovat tum, cum cervumque lupumque
Certamen videat conferre in saltibus altis:
Cornibus ille lupum laedit, lupus ore tenaci
Circumagit cervum: sors est luctantibus anceps:
Infremit et rabies, manat de corpore sanguis:
Spectat, et expectat, tandem Leo fertur in aegros,
Gaudia tuta frui praedis in pectore carpens;
Sic videt ex tuto Bonapars, animoque recepit
Spem cito de populo magnos spectare triumphos.
Vndique jactatae increpuere per aethera glandes,
Volvitur ex terra foeda caligine pulvis,
Quem tollunt celeres cursu peditesque equitesque.
Bellica jam geminant tormenta per aera fumum,
Eripit et mixtus fumus coelumque diemque
Illorum ex oculis: campo nox incubat atra.
Insequitur clamorque virum, stridorque tubarum,

Praesentemque viris intentant omnia caedem.
Quilibet et fuscus gladios versatque agitatque:
Quisque sibi alterno jam vulnere pectora foedant.
Spargitur in terram stridenti gurgite sanguis,
Fata putes urbem miseram suprema minari.
Armis Caldognus validis portam occupat urbis,
Agmina et in turpes urgens animosa rebelles,
Quos proh! non puduit propriis cum civibus acres
Conseruisse manus: plures demissit ad orcum:
Tradidit atque alios captiva in vincula sontes.
Terque decem, totidemque viri, quibus addito denos
Servitium subiere suis erroribus aequum.
Altera porta tuis, Nogarola, invaditur armis,
Atque caves, oculos vigilans timidusque revolvens,
Ne retro, vel parte alia ferus occupet hostis.
Sic Leo speluncae recubans tutatur hiatum,
Ne raptor quisquam ad catulos ire audeat intus
Hostes expectas: nec te discrimina vitae
A porta removent: recto tibi pectore flagrans
Fervet amor patriae, et Venetae: tua sub juga mittis
Octoginta virûm, multos quoque confodis hostis.
Pro Venetis tulerant etiam certamina Martis
Illyrici, semper bellis animosa juventus.
Et Veronenses illic quoque in arma sodales
In Gallos acuunt ferrum, excidiumque superbos.
Ad portas rapidi currunt, et praelia miscent.
Insonat armorum strepitus, sanguisque viarum
Jam per aperta fluit, circum pyrioque refulgent
Pulvere cuncta, novus velat quae postea fumus.
Heu nimis auditu horrendum! heu miserabile visu!
Brachia caesa volant, capita et truncata, pedesque.
Perfidi et incassum supremo mortis agone
Vera quidem noscunt: contempti nomina Iesu
Non audituri sero referuntur ab ore.
Custodum interea turba comitante suorum
Obvius occurrit populo Bopelius audax

Velatus ramis oleae, pacisque sequester.
Vix viso, populus fertur furibundus in illum,
Vrget, et adversa prensis a fronte capillis
Stravit humi pronum, sonuit sub pondere tellus.
Nec mora, nec requies: errat modo tempora circum
Crebra manus, circumque aures: modo vulnere pugni
Ingentes crepitant nigro, faciesque tumescit.
Exululat, frustra requiemque precatur, opemque.
Vtque graves nimbis, et multa grandine nubes
Culminibus scissae crepitant; sic ictibus omnis
Contunditque virum populus, versatque scelestum.
Dum tamen egregium vulgus tumidam explicat iram,
Captivique cadunt plures, pluresque dabantur
Francigeni letho: turri tunc signa coruscant
Alba super celsa, optatae praeludia pacis.
Hinc Vrbis Praetor, cui pacis munera cordi,
Alloquitur populum clara pietate furentem:
Egregii Socii, o Veneti pars magna decoris,
Armis heu! tandem desistite, flectite et iram.
Parcite vos vitae, et rebus servate secundis.
Plura loquuturum vulgi furor impedit, atque
Nos potius moriamur, ait, quam cedere Gallis.
Vt vires ventus majores objice sumit,
Et saepe esculeos alta e radice revellit
Per juga sylvarum truncos, pinusque vetustas,
Sic iterum visi laxatas sumere vires,
Per fora, perque vias animis juvenesque senesque
Concordes durae certant occumbere morti,
Ni valeant armis patriae donare salutem.
Nox iterum venit rebus raptura colorem,
Et vulgi tenebrosa fovet rabiemque minasque.
Jam quaecumque manu Galli vexere rapaci
In sua quam citius, ulto bene jure, resumunt:
Ast quo pertraxit rabies ultricia furta,
Quo furor immodicus populi tunc impulit arma?
Saeva rapina domos intrat, quoque laeditur ipse

Civis et innocuus, qui verba precantia solvit.
Et Vivans dives, sacro qui sabbata ritu
Festa colit, circum fruges, gravia horrea furtis
Depopulata gemit subitis. Respublica jussit
Vivantem cupidis praebere cibaria Gallis.
Sola sed immensum persolverat Adria damnum.
Dum furit, atque animis saevit trux undique plebes,
Insignes pietate viri, meritisque probati
Æmilius, Garavetta, Comes Sanfermus amatam
Tantis haud passi furtis vexarier Vrbem,
Indicunt pacem populo, atque insignia praebent.
Candida nam pandut tum lintea in aera, prima
Cum retulit lucem radiis Aurora: rapaces
Desistunt armis, arrectisque auribus adstant,
Cum primum adcitis indicta est concio cunctis:
Sic igitur dictis animos et pectora mulcet
Æmilius: Tandem, o Socii, jam parcite bellis;
Pro Venetiis nimio sat vos arsistis amore:
Sed mala, dira mala, heu! Venetis, vobisque parastis.
Cur animus tantas fervens exarsit in iras?
Heu miseri! citius rationem Gallica ad unguem
Gens petet a Venetis, et vestro crimine tandem
Concidet Imperium, quod dens non laeserat aevi.
Quidnam ego Francigenis tremui crudelius ipsis?
Quidve fami non cedit in orbe potentius acri?
Omne ferox subicit prorsus gens ista quod optat.
Nec mora, nec requies: animosa obstacula spernit,
Et juvat infernae Satan trux arbiter umbrae.
Vt torrens undis praeceps pluvialibus altas
Appetit ipse domos, segetesque, boumque labores
Vndique sternit humi; totis sic viribus omnem
Diffundent Galli rabiem, tumidumque furorem.
Heu! quoties istis jurantes auribus hausi
Sese eversuros meliori tempore vestram
(Ni tamen aspiciant tantas sedarier iras)
Veronam, vestris insultet ut undique bustis

Armentum, catulosque ferae enitantur inultae
Vsque triumphatis, duraturisque ruinis.
Arma igitur sacris tandem, suspendite templis,
Atque Deo vestram summo committite sortem.
Ille caput saevis jam conteret hostibus altum,
Credite, et impia turba brevi bacchabitur aevo.
Vos petite atque domos, moestum lenite dolorem
Conjugibus, vestroque ferant sua brachia collo
Ridentes nati, visu fraterque sororque
Gaudeat, et resonet laetis applausibus aether.
Ne pigeat, certe haec olim fecisse juvabit.
Auxilia heu! quoties Venetos et prompta rogastis,
Nec Veneti praebere, nec exaudire petentes.
Quanta etenim ruerent rerum discrimina prudens,
Quamque molesta forent pridem Res publica norat.
Ergo vos vultis oculis decernere parvis,
Quod vix ipse potest oculis Leo cernere apertis,
Quodque videre valet vix summa scientia regni?
Dixerat et populum sedat sermonibus acrem.
Quilibet arma viris coram posuere probatis,
Et pietatis opus cunctorum pectora mulcet.
Cur non in Gallos potius renovastis acerbas,
Quas olim vidit caedes Trinacria tellus
Sole sub occiduo, Gallorum et membra inhumavit?
Primum ergo expoliant Gallos jam funere mersos,
Qui longe lateque suis, denso aggere, circum
Corporibus foedis telluris summa gravabant.
Magna quidem inveniunt scrutantes pondera fulvi
Argenti, populis imbellibus undique rapti.
Vtque fluunt volucres, et denso in tempore messis
Agmine neglectas rostris scrutantur aristas,
Se saturant granis gaudenti et gutture opimis;
Sic quoque turba novis laetatur villica praedis.
Postea et amissos socios per castra requirunt:
Nam mens turbata est animosi funere vulgi, et
Praecipitant curae sociis dare tempus humandis.

In templis igitur persolvere sacra jubentur
Presbyteri: herouınque Deo jam spiritus almus
Obvius it precibus, redolenti et thure levatur.
Atque etiam interea quivis ex agmine miles
Belligeros tribuit magnis solerter honores
More viris, queis Veronae sub moenibus altis
Contigit oppetere, et campis occumbere apertis.
Haud segnes, animoque pio struxere feretra:
Hic juvenes ponunt, quos funus mersit acerbum.
Jamque aliud decorat Tyrio de murice vestis
Distinctum prae aliis , et circum emblemata laudis.
Hic juvenem clarum villoso in stramine ponunt:
Pro patria generosum fuderat ipse cruorem,
Virtutisque suae praebebat spem omnibus altam.
Ipse videtur eo recubans in stramine pulcher
Flos violae tenerae, seu languentis hyacinthi,
Qui sit virgineo demessus pollice nuper.
Immerita Æmilium lacrymantur morte necatum,
Quam dedit ira ulto Gallorum pectore cruda.
O quos pro patria laceratos glandibus artus
Ignitis juvenis celas sanctissime! clamant.
Nunc iter ad templum, atque iter ad fatale sepulcrum.
Plurima turba viros summo comitatur honore,
Ensem alii, galeasque ferunt, rapta hostibus arma.
Illyrici, Veronigenique etiam ordine longo
Procedunt, genuit quos Brixia clara sequuntur.
Et quoque eunt alii populi, qui foedere juncti
In Gallos animos, ultricia, et arma tulerunt.
Ictibus et pueri pulsabant tympana raucis,
Concutiuntque simul praecordia moesta virorum,
Qui gemitu, guttisque humectant grandibus ora.
Intereaque Duces statuunt considere amico
Concilio, fuit haec etiam sententia Gallis.
Accipe Francorum insidias et crimine ab uno
Disce omnes: mutatur enim sententia, postquam
Concilium coiere: manus conspexerat armis

Exutas vulgi Bonapars, nilque esse timoris.
Apta, sed incassum, venit praesentia Patrum,
Quos modo Veronam Respublica miserat aegra,
Iras ut possent Gallorum flectere diras.
Justinianus adest, venit Donatus, et horum
Dulcis amor patriae facundo expirat ab ore.
Advenit huc Bonapars, venit et Bopelius audax,
Ballandus, aliique Duces ex agmine Galli.
Consedere Duces etiam Caldognus, et almus
Mapphaejus junior, Castellus et acer in armis,
Qui dare debebant armatam ex foedere pubem,
Quique tuebantur Veronae jura labantis.
Postquam jam fuerant indicta silentia cunctis,
Vndique conspexit luctu confectus acerbo
Justinianus, amor patriae quem coxerat ardens,
Intendensque manus ad sidera: Proh Deus, inquit,
Ne frustra facito, o Tu, nunc mea verba refundam,
Credita at egregii persolvam munera civis.
An pacem sperare licet, si cuncta minari
Aspicimus Venetis bellum miserabile? Quaenam
Sacra fides, Bonapars o maxime, habebitur unquam?
Tu modo praesidium visus promittere nobis,
Foedus amicitiae et jactas: adversa sequuntur.
Argentum Venetos, quos nunc agnoscis, egentes,
Viribus, atque minis poscis. Piscaria nonne
Vestris capta dolis, lascivo et milite pressa?
Nonne tibi tentas etiam submittere, Mela
Quam prope decurrens tenui sonitu alluit, urbem?
Nonne gemunt Veneti perclusos mercibus omnes
Italiae portus, vetita et commercia terris?
Veronae clades nostras pervenit ad aures,
Attamen et constans animus, patiensque pericli
Damna tulit, pressitque iras, motasque phalangas,
Jussit et adversis populum desistere ab armis.
Nonne dedit nummos vobis poscentibus usque?
Hic pietatis honos? dignas sic solvere grates

Nempe soles? sic pollicitisque fidem adjicis ergo?
Consilia anne putas scelerata latere Senatum?
Qui sensus animique tui? Benacus ut alte
Ignibus horrificis tonuit, et classe volucri!
Cogitur absque mora gladios deponere clarum
Salodium infestos: aliter, tua jussa minantur
Excidium: forsan Venetorum excusserat ista
Arx fraenum, ut vobis illam parere deceret?
Nonne hac mente tui tentarunt litora Galli,
Quae noster furiosis fluctibus Adria miscet,
In quae necquidquam Ligurum tentaverat ante
Triste ausum classis fatum bibitura supremum?
Quid sibi fingebat, sonuit cum murmure vasto
Impulsus tribus atque decem ferus Adria rostris,
Laugerius? nonne inflexi per cornua .portus
Praecipiti cursu, Nereo mirante, petebat
Ora lacus, placidus qui nostram circumit Vrbem?
Cur hominem cogit, quem insontem Claudia alebat,
Vi infanda raptum, doceat qui occulta viarum,
Immitisque necem, si falleret ipse, minatur?
Di bene, quod patrios portus, quod litora late
Centum oculis vigilans conatus reddis inanes,
Pizzamane pater, semper memorande per aevum.
Igniferas glandes, clamas, explodite in hostes,
Belligerisque manum tormentis o date, pravo
Haud cessate metu naves opponere nostras.
Ardet opus: sed fraude armisque potentius Æquum est;
Numine dante, malam profligant praelia mentem.
Jam sternit fortis nudatis ensibus omnes
Miles, et erubuit scelerato sanguine Nereus,
Laugeriusque dolis poenas tunc solverat atrox
Rupta puppe, profunda petens submergitur Argo;
Hinc properante fuga, videas vanescere in altum
Ex oculis alias aequalia fata timentes.
Ergone? fas fuerat pigrum concedere pectus,
Hostis ut in nostram petulans irrumperet Vrbem?

Nonne rates etiam gladios ensesque ferebant
Hostiles jamjam tingendos sanguine nostro?
Haeccine amicitia praestantur foedera nobis?
Atque ubi pacta fides, iterumque iterumque novata?
Heu pudeat tandem verbis nos credere vestris!
Sic ait, et fremitus totam se fundit in aulam,
Atque minax gemitus, rabidae commixtus et irae
Patricii egregii flagrantia verba probabat.
Ast Bonapars impos stimulantem flectere bilem est,
Nam facile bilem perverso in pectore verba
Vera movent tacitam, fines quae pectoris ultra
Insilit humani: horrendus cupit ille furorem
Excutere immanem, Phoebi ut, Triviaeque sacerdos
Deiphobe vocem ad Phoebeia fata resolvens,
Os rabidum, fera corda quatit, fingitque premendo.
Jam flagrant oculi, toto diffunditur ardens
Ore rubor, quatiuntur labra coërcita, dentes
Comprimit ipse suos, horrent in vertice crines,
Atque tument venae, atque aestu praecordia anhelant.
Semesae voces, agitatque manus, pedibusque
Tellurem pulsat surgens, et corpore toto
Concutitur, vocesque ferox prorumpit in istas:
Siccine? consilium verbis velatis acerbis?
Jam patet omne mihi. Veneti meditantur iniqui
Francigenis fatum: fallet sententia vosmet
Ipse Deum testor, nostros qui dirigit enses,
Perque fidem, factis quam vos violastis iniquis,
Per quod in immenso veneramur sanctius orbe,
Quod mihi non tarda poena commissa luetis.
Creditis an nequeam populis ostendere cunctis,
Quid valeant Galli, quid vires undique possint,
Dum me bellantem Germania et ipsa tremiscit?
Creditis anne ferant pacato corde ruinas,
Atque suas strages Latiae, quas duco, cohortes?
Verba refunde libens, fallacia verba refundes.
Jam socios ulciscar ego, et spes nulla salutis

Obveniet vobis: Gallorum exercitus omnis
Vindictam repetit magnis clamoribus: illum
Nobilis exagitat vindicta, nec ira quiescit.
Proh! agitur Venetus generoso more Senatus,
Perfidie tantis donis respondet amara?
Abnuit oblatam componi foedere pacem,
Vt mala tanta ferat nobis, versetque prematque.
Haud opus est verbis: Si vultis bella, movebo.
Octoginta virûm certamine millia multo
Experta, horrificoquè armorum pondere onustae
Sunt mihi bis denae naves: alimenta negabo
Per mare, per terras, atque obsidione superbam
Cingam urbem, nec erit mihi fas audire querelas:
Nec mora: si pacem, quaesita rependite, dixit.
Donatus contra: Veneti quaesita rependent,
Dummodo justa feras, nec sint de more molesta.
At quoniam haec vulpes vafram non segnis ad artem
Flecti legatos trepida formidine sensit,
Occultam, tacitamque fovet spem pectore praedae,
Certus et eventus petulanti voce profatur:
En mea consilia: est actum: legatus in urbem
Se ferat, et portam, Veneta comitante cohorte,
Agminibus multis, nostris cito cingat et armis.
Bellica, ne rursus utetur villica turba,
Perlustret tormenta, et clavis figat acutis.
Anne putas Venetas memet non noscere vires?
Haud latet, Adriaci linquunt sine milite cunctas
Vrbes, quas nequeunt armis defendere firmis.
Viribus orba nequit Res pellere publica fortes
Francigenas, populosque suos nequit exuere armis.
Huc ego perveniam, Venetis nolentibus ipsis,
Auferam et arma ferox, poenis multabo rebelles.
Obsidibusque mihi caveam: teneantur in arce:
Vrbis magnates, Erizzus, Episcopus ipse,
Mapphaejus, Minischalchi fratres, Philiberusque,
Et Garavetta, feris audax dux Straticus armis.

Quae captiva gemit, donetur Gallica turba
Libertate sua: nondum nescitis et ipsi,
Gaudeat ut populus naturae jure misellus,
Stare mihi mentem, pauperque aequetur avaro?
Quaeritis anne pacem? citius mihi cedite atroces
Improbitate viros, tenui qui crimine mulctant
Carcere vel miseros, lucis vel jura negando,
Vel nece, non dictis causis, in tartara mergunt.
Quos ego ... quin etiam squallentia vincula frangam,
Plumbea tecta super vellam strata aedibus altis,
Quae miseris varianti alternant tempore poenam,
Vel cum torpet hyems, vel cum bacchatur et aestas
Quod genus invenit poenae truculenta vetustas!
Nonne tenent vinctos nobis haec vincla faventes?
Nonne tenet nostros immitis carcer amicos?
Anne favere nefas Gallis, et opinio crimen
Sanguine solvendum, et nunquam nisi morte piandum?
Nec mora: captivi cito libertate fruantur.
Nonne tui, tristem reprimens in corde dolorem
Iustinianus ait, nunc libertate fruuntur?
Nunc Veneti vestris fregerunt vincla Polonis,
Quamvis jure dedit belli fortuna subactos:
Liber et est omnis, quem duxit opinio: forsan
Amplius exquiris? Veneti tua vota secundant.
Anne etiam repetis diverso crimine sontes?
At Corsus, cujus ferri armorumque potestas
Confundit jus omne ferox, scelerique nefando
Nomina virtutis dederat, sic ore profatur:
Solvite mox cunctos, qui libertate fruantur.
Sic volo, sic jubeo: libertas leniat aegros.
Quid plura? horrendum statuo componere bellum:
Nempe hac mente dedi Austriacis ego foedera pacis.
Vindobonam poteram cupienti milite victor
Ingredier: renui, ut totis nunc viribus urbem
Irruat in vestram miles. Mea dextra Senatum
Destruet imbellem, Venetis novus Atila leges,

Juraque componam. Si pacem quaeritis, unquam
Pacis erit spes nulla: modos et foedera sperno:
Jam nimis imperium longaeva aetate laborat,
Corruat in nihilum, casum nam fata minantur.
Improbus hic cupiens alias praetexere causas,
Et reperire viam nobis quacumque nocendi
Cur Patres, ait, imperii moderantur habenas,
Curnam, quos retinet claros contermina terra
Nobilitate Viros Patris depungitis albo?
Cur servos retinetis adhuc? habeant modo honores,
Curia, vestraque eis pateat quoque purpura dignis.
Ad haec effundens Donatus pectore vocem,
Nonne, ait, et Borina domus, Cassellaque Magno
Concilio conscripta recenti hoc tempore? cunctis
Nobilibus toga nonne patet? via semper aperta.
Succinis ambages, cum absint tibi jura nocendi,
Injustasque canis versuto corde querelas:
Quis fuit horrentes primus qui protulit enses
In Venetos? pudeat! quis primus voce nefanda
Quis clamavit io Libertas? dicito. Nonne
Lecchius ille niger, sequitur quem prava caterva
Horrisoni populi, potuit quam perfidus arte
Fallere pellaci, atque ut laeti vertice collis
Bergomum ab excelso exundantia messibus arva
Cernit; ita horrescens undantes ensibus omnes
In sua damna locos minitanti cuspide saevis
Ingemuit, civesque suos odisse coactum est?
An latet, emerunt quod fuso turpiter auro
Francigenae? nequeunt unquam mendacia condi.
Tunc ais et leges, populorum et jura tueri?
Cur igitur tendis leges nunc frangere nostras,
Nunc et ab imperio populos avertere, fidos?
Impatiens veri, coeptisque immanibus audens
Consilium volvens praeceps ad castra tetendit,
Atque locuturis Bonapars discessit ab illis,
Vt volitat rutilum stridens per aethera fulmen.

An poterant unquam pectus lenire ferinum
Verba hominis? nunquam rationem bellua noscit.
Quid juvit voces sapienti fundere lingua,
Cum non ulla datur justis jam quaestibus auris?
Quid juvat et verum proferre negantibus ipsum?
Anne potest, cum hostis renuit certamen iniri?
Dum res acta fuit, mente et defixa tenaci,
Vota quid efficiunt? quid prosunt foedera, questus?
Horrida sic rupes, Echo illudente, querenti
Frustratos gemitus, miserandaque verba remittit.
Redditur et ferrum durum sic durius ictu,
Alternis geminant vicibus quem brachia fabrûm.
Vt medio Titan radiis splendentibus orbe
Clarior affulget, sic mens animusque scelestus
Gallorum patuit perdendi viribus Vrbem
Adriacan totis. Sict juvit credere Gallis!
Postquam spes rebus evanuit ulla juvandis,
Donato in ventos vocem fundente fluentes;
Sedibus assurgens generoso murmure moestos
Quisque lares repetit miserans communia damna,
Quae ventura forent Venetis, patriaeque labanti.
Interea Bonapars ad apertas flexerat artes
Mentem animumque suum: Venetam mox imperat Vr-
Obsidione premi, atque ad bellum curcta parari. bem
Tunc a convexo nostras pervenit ad aures
Æthere murmur, uti cum terrae cardo lababat,
Motibus horriferis audivi nuper in imis
Telluris specubus raucum mugire fragorem.
Nox erat: hinc atque hinc oculo mirante per umbram
Quattuor ecce globos flammarum albescere vidi,
Atque alios paullo collata mole minores,
Insuper expansas varie percurrere nubes:
Jamjam praecipites terras descendere in imas
Optarent, et cuncta sua vi incendere averent;
Ni regerent totidem fraeno cohibente corusca
Sydera conatus: majori mole venustum,

Et retrahens radios urgentes fundere lucem
Aspexi sidus: vidi praecedere tetro
Pallentem vultu, et taciturna luce Cometen:
Longus erat crinis: lumen vergebat opacum
Tristis ad occasum: atque non impune videbam
Sic minimum splendere jubar; sed crine minaci
Nunciet aut populis caedes, aut regibus atrox.
Tunc subito dulci resonat spiramine ventus,
Et fugat, ut volvant spisso velamine visum
Mirandum sane, sublimia nubila circum,
Quae coeli condunt australes humida partes.
Nescius ipse mei medium vanescere coelum
Aspicio, et suavi replet dulcedine lumen
Attonitos oculos, qualis splendescere summo
Mane solet roseis concussus curribus aether,
Quos vehit auricomans vicini nuncia Solis:
Dulciter et ventum voces agitare per auram
Melliferam cytharis tamquam resonantibus hausi.
Sic fuit immixtus grata dulcedine terror.
Nulla fuit nubes, velo quae obduceret aethram,
Lumine et Adriaca excelso (mirabile visu!)
Spargitur hinc tellus: videor splendore beatus.
Providus aspicitur Sator Regumque Hominumque,
Filius ad dextram sapiens assidere Patris.
Laeva crucem stringit, cum Patre et dextera mundum,
Atque columba super radios discrimine nullo,
Queis Genitor, Genitusque micat, copiosa remittit,
Et super assidunt nebula gravitate carente:
Esse putas nubes, velles ni credere Solem.
Parvula sic nubes coelo conspecta sereno,
Quam si forte suis radiis Sol imbuat altus,
Creditur haud nubes, idem sed lumine Titan:
Haec pariter toto spargebat lumina coelo.
Fulgor adest, nequeunt oculi persistere visu:
Jam vix turba potest, solio quae Numinis alto
Angelica inservit numeroso ex ordine prima:

Sunt aliqui pennis oculos qui obvolvere densis
Coguntur, demissa alii cervice recumbunt:
Qui digitis cytharas pulsant, qui gutture cantus
Dulcisonos edunt, alterno tympana pulsu
Certabant alii, atque aptis clangoribus edit
Buccina clara sonos, tensas melos allicit aures,
Ante Deum circumstant distincto ordine Divi,
Et patrii Indigetes, quos servantissima recti
Vrbs quondam dederat multos de gente togata:
Et qui conspicuis, populo venerante, patroni
Auxiliis Venetos servant, et litora circum.
Hi genibus flexis laetantes Numen adorant.
En subito cytharis indicta silentia festis.
Ecce Maria oculos pietate effusa nitentes
Has iterum Patri retulit de corde querelas:
Tam fovet ipsa suo flammas in pectore amoris!
O Pater omnipotens, sapienti qui omnia nutu,
Consilioque regis, oculos miseratus in urbe
Defige Adriaca, a Venetis mala tanta repelle.
Hic primum pietas lapidem constraverat urbis
Numine fota meo, atque mihi devoverat urbem.
Templa dicata mihi surgunt sublimia passim,
Numinibusque canunt nostris per saecula laudes.
Saepe tua, et Divum, quibus alta habitare dedisti
Sydera nobiscum, et quos Vrbs habet ipsa patronos,
Pectore demisso se fert ad templa quotannis.
Hos dedit ista Viros, quos nunc coelestia Sanctos
Regna tenent: ego jam terris magis omnibus unam
Hanc colo: Gallorum a Venetis procul abstrahe gentem,
Te precor, o Genitor, turbam et disperde rapacem.
Ne pereat veterum virtutum gloria, quaeso,
Quam peperere sibi transacto tempore cives.
Si vitiis marcet pubes confecta scelestis,
Atque senes, citius poenis compesce rebelles,
Vel nece plecte minax: maneat per saecula princeps
Et maris, et terrae: maneat sapientia legum,

Quas sic mirantur populi, regesque potentes,
Vt poscant Venetos juris consulta labantis.
Jam mala praevideo finem haud habitura, modumque:
Aspicio Gallos Venetas penetrare lacunas,
Omnibus et vitiis, scelerique favere salaces.
Quippe ubi nulla data est virtuti gloria clarae,
Et sceleri patefacta via, heu! corrumpier atris
Moribus imbutam Theodori in templa juventam
Confluere aspicio: hic odium, bellumque superbum
In Superos, Regesque omnes, opibusque potentes
Imbibitur: spargit rabidis bacchata Sophorum
Turba novos mores labiis et dogmata prorsus
Quae natura, Deusque dedit, contraria jactat,
Et trifidas in nos linguas turgente veneno
Anguibus assimilis acuens tua Numina spernit.
Quidve duces, populo quos Galli crimine toto
Foedatos statuere meo? componere iniquas
Leges, et vitium mulcenti extollere plausu?
Et potes, o Genitor, pacato cernere vultu,
Vt rapiant templis aurum? pretiosa supellex
Thesauri, veteri in Marci quae conditur Æde
Sacrilegis cedat manibus, pictaeque tabellae,
Quae sacra facta Dei referente coloribus arte
In pietate regunt mirantia pectora vulgi?
Anne sines prostare diem, quo Spiritus almus
Pectora coelesti mortalia adussit amore,
Et quem Christicolae vota pietate celébrant:
Atque Sacerdotem Francisci insignibus, (audax
Exemplum!) indutum furiis agitarier atris
Ipse sinas, choreasque ferum celebrare nefandas
Fictitiam circum frondem? volitare phrenesi
Lymphatam plebem dira, atque ululatibus auras
Concutere, et Libertatis leve poscere numen?
Anne timere mihi renovatis ordine rebus
Eumenidas Stygiis ruptas fornacibus, orbem
Anguicomis terrere iris, Thyadesque timendae,

Quae celebrent juvenum modo cladibus orgia Bacchi?
Ne redeat fusum, quaeso, caligine tempus,
Te precor, Omnipotens Genitor, testorque per ipsum,
Quem, te dante, dedi intemerato pectore, Natum.
Nunc pietatem igitur, quaeso, solare cadentem,
Inque viros Venetos caelestia dona triumphent:
Te, Pater Omnipotens, supplex tua Numina posco,
Ne des ipse feris animas, quae corde fatentur
Relligionis opus oculis mirabile claris.
At Sator Omnipotens vultu, quo cuncta serenat,
Sublevat ipse manu Divam, dehinc talia fatur:
Pone preces, Virgo, remanent immota per aevum
Consilia: Adriaci flexere abs limite recti,
Ipsa vides paucos aris imponere honorem:
Fervet at impietas exlex, quae diffluit audax
In populum: corrupta fides, verumque pudicum
Non exorato mendacia judice torquent.
Itur in omne nefas: et pectore nullus in imo
Advertit, quantum verset mea dextra flagellum.
Tempus et ipse dedi, ut noscant sua crimina tandem,
Atque diu jaculatus eram mea tela furoris.
Sed magis indurant praecordia prava, minaci
Illuduntque mihi: ante meum consurgere templum
Magna theatra vides: domus alta assurgit averni,
Quam tollunt cives profuso largiter auro:
Egredier laribus mox cogitur incola pauper,
Et tenues reperire locos, ubi parta quietis
Otia lenirent curas; celerique labore
Artifices operam tantam complere jubentur:
Ante, decem quam luna orbes complesset et octo
Ingens surgit opus: quamvis gemat anxia tellus
Ausoniae, atque sibi venturos Adria casus
Praescia deberet pridem cognoscere: verum
Haec fuit o nimium fatis sopita futuris!
Nonne dabit poenas? Venetos impune per omne
Insanire nefas concedam, et spernere leges?

Attamen et levius, quoniam haec te cura remordet,
Experiar Venetos: menses hoc triste per octo
Durabit regimen, nec sanguine terra madescet:
Postea et his dulci dominabitur Austria fraeno.
Corda sed expertus frustra (nam in crimina praeceps
Quisque ruit, nobisque indicere durus acerbum
Continuat bellum, et petulanti jura cachinno
Meque Deum coeli spernit, terraeque, marisque)
Francigenas iterum Venetorum in litora pellam,
Postquam bis quatuor magnos compleverit orbes
Sol super indignas volvendis mensibus urbes.
Cum jam Napoleon regali tempora serto
Cinxerit, Italiaeque animo dominabitur atro.
Haec juga Gallorum Veneti patiantur inulti.
Sic non vis animis, nec tanta superbia victis.
Fatorum sed enim volvens arcana movebo,
Et mecum cupias, fiat, mea nata, voluntas.
Cyrnaeum immittam, saevo qui crudior angue
Dictabit populis crudas in codice leges,
Quas non jus dictat naturae, at prava cupido.
Ingluviem satiabit avens, durusque per octo
Imperio Venetas urbes moderabitur annos.
Nec mora, nec pietas illi: turpisque Carybdis
Extorquet Venetis violenta tributa licenter.
Vae, nisi sit scriptis trigesima linea cunctis,
Quae sint ante avido regni signanda sigillo,
Quo sibi gazarum praegrandia pondera acervet!
Mercibus et totis nova vectigalia figet,
Vt Venetis prorsus cessent commercia terris.
Publica claudentur fraudato aeraria civi,
Sudabunt frustra artifices mercede negata,
Nec pietas lacrymis, non ulla levamina nudis.
Quo non infami furandi ipse irruet aestu!
Et vitiis retrahet quaestum vitiosior atris
Omnibus: ad nomen tam turpe horresceret usque
Hic locus: atque artes graviori pondere pulchrae

Servitium flebunt prisco sine honore jacentes.
Insuper et sceleri videas data praemia laeto,
Et trux virtutem laxato spernere fraeno,
Atque insultanti calcatae illudere risu.
Quin etiam quid non mortalia pectora cogit
Auri sacra fames? inopum patrimonia latro
Auferet, atque meos audebit tangere Christos,
Foeda et avarities subducere praedia crevit,
Quae sub conditione viri pietatis amantes
Presbyteris tribuere pii, non regibus unquam,
Vt sacris habeant manes lenimina Missis;
Atque ideo extollent animae sua brachia moestae,
Vindictam atque petent, et fas audire precantes.
Sedibus expulsas miraberis ipsa puellas,
Quae vovere mihi almum virginitatis honorem,
Sacraque convertent in turpes claustra tabernas.
Quot natos ulnis videas avellere matris
Necquidquam flentis nullo discrimine in arma
Cyrnaeum numquam satiandum sanguine: ad aures
Quot gemitus venient nostras, fletusque querentum!
Denique et historias lustris ventura duobus
Facta omnes vincent, ut parva haec tempora totum,
Quod prius evenit stragis per saecula, claudant.
Ergo sines, Genitor, Gallos impune protervum
Exagitare caput, nostrum et contemnere Numen?
Ergo diu tanta exleges in crimina current?
Parce metu, Virgo, mea nata, ait Arbiter aevi;
Sum Domlnus, non mutor ego, mortalis ut aeger.
Quisnam hominum miram cognoscet in orbe catenam,
Qua sibi res omnes alternante ordine vinclis
Nunquam frangendis nectuntur! vilis arena
Totius integram rationem perficit orbis.
Sic se ordo moralis habet: de crimine saevo
Justitiae retrahunt ditissima semina justi.
Perque mala experior mores pravosque bonosque;
Scilicet ut fulvum tentatur in ignibus aurum.

Ipsa sed exercent justos in limine honesti;
Abducuntque malos aliquando in crimina pronos.
Audet in aerumnis altas extollere frontes
Durus homo, et nostras rabidus contemnere leges?
Qui Deus in coelis habitat, qui frangere regna
Assolet, ut figuli testas, confringet iniquos,
Subsannabit eos, memorique loquetur in ira.
En tibi fatorum meliora arcana movebo,
Namque est ira brevis clementi in pectore: tantum
Vt stipulae venti rapiuntur turbine siccae,
Sic volo perversos nostro depellere ab ore.
Vt foenum subito demessum arescit in arvis,
Vt solet accensis admota liquescere flammis
Cera tenax subito, tepidive afflamine Solis
Vis nivis, et ventis ut fumus deficit ater;
Sic quoque deficient homines in crimine mersi.
Turbo erit, illorum et calicis pars spiritus ignis.
Jamque Salentinos Gallorum in funera pellam,
Illyricosque potens fortes, septemque triones.
Atque perosa nefas generosa Britannia honesti
Cultrix et justi Reges populosque movebit
Auxiliata gravi, cita quae ferit aequora, classe,
Ponderibusque auri, ut tandem sua tela nefandos
Confodiant hominum, nostri et quoque Numinis hostes.
Sic ait, et subito nubes, quae obvolverat auram
Parte sub Arctoa, in nihilum tenuata recessit.
Syderaque illustri apparent splendentia monstro.
Tunc iterum Omnipotens sic edidit: Aspice, nata,
Aspice quae ventura palam, quae ferre salutem
Numine jussa meo citius mortalibus aegris.
Est sua vis rebus: dubiis non irrita fatis
Signa vides: Medium majori mole coruscum
Sydusne agnoscis, radios cohibensque micantes?
Septimus ille PIVS, quem lecta Ecclesia Patrum
Insula in Adriaca Corsi implacabile nuper
Diffugiens odium, Pastorem Numine nostro

Pontificemque dedit, quem nunc fera vincula pressum,
Et retinent truciter Romana a sede revulsum:
Emicat ecce jubar sese profundere circum:
At sua conatus reprimit constantia cordis.
Tempus at adveniet, magnos jam cursibus orbes
Sol maturabit: vivae cum copia lucis
Vndique se fundens pressum solabitur orbem:
Firmus et iste lapis, contra quem cornua dirus
Napoleon franget, diro super hoste triumphet.
Tartareae frustra vires jam stagna paludis
Exproment adversus eum, qui sanctior omnes
Continet egregio exemplo in mea jura fideles.
Atque alia aspicias clarescere sydera luce:
Magnus Alexander, cujus moderamina justa
Mollivere Scythas, per quem non aspera gestant
Amplius ora Getae: quo nunquam justior ante,
Et pietate fuit, bellove valentior alter.
Hinc sequitur simili splendore Georgius, Anglûm
Magnanimo placidus populo, qui praesidet, hostis
Cyrnaeo assiduus, quia servantissimus aequi:
Hic Fridericus adest, qui tandem corde soporem
Excutit, atque jugum contecta fraude paratum
Amovet indignans: medioque in turbine belli
Agmina non dubitat victoribus addere multa
Agminibus Scythicis, et telis addere tela:
Franciscum splendere vide, qui concitat iras,
Quemque quidem puduit generi, generumque perosus
Belligero tandem fraudes ulciscitur igne:
Et gener exitio solvet delicta supremo.
Aspicis anne globos hinc percurrere coelum,
Quique micant terras incendere ubique minantes?
Bellicus est ignis, fundam quem in pectora tandem
Summa virûm: mea, pone metum, mea nata, videbis
Imperium infandum super improbitate locatum,
Pressa licet trepidet magno sub pondere tellus,
Prorsus in ima trahi, saxum velut insuper undis.

Sic quoque terribilis quondam ex hac sede fugavi
Luciferum, turmasque suas mea regna petentes.
Hinc Velinctonus gratum memorandus in aevum
Gallica cunctando Hesperiis fugat agmina ab oris,
Et tandem caesis valide tot millibus, acer.
Excutit Hispanam raptoris crine coronam.
Sarmata Platovus, postquam jam reddidit ausus
Fallaces Corsi superans Moscae undique flamma,
Et gelidus Boreas nostro tunc numine venas
Militibus trucibus constricto sanguine clausit,
Insequitur reliquos, ut tanto ex agmine nullus
Frustrato, profugoque Duci, nisi dedecus, adsit.
Et quamvis geminet numero majore cohortes
Corsus adhuc rabidas, tentetque pericula sortis,
En duo, quae fulgere vides cum praepete cursu,
En duo prosternent ardentia fulmina belli:
Milite stipabit Prusso Blucherius ardens,
Vt dubia tandem Bonapars cervice laboret:
Postea Sequanicum retro cum vertet ad amnem
Detestata Ducem defunctis viribus atrum
Agmina; sublimi prorsus virtute subactum
Captivum Svarzemberghus trahet acer ad Helbam:
Sic ubi torquebat converso crimine sontes,
Insula criminibus veris famosa fluentem
Claudat, et obscuros illic ferus exigat annos.
Sic ego, qui largo cunctos calefecerat amnes
Sanguine, et attonitum reprobus tremefecerat orbem,
Et sibi conscivit, quae sunt mea nomina, pravus,
Pronitus ulciscor: nunc scito altissimus esse,
Quem jam devexi lymphatum ad culmina rerum,
Vt lapsu graviore ruas mea Numina spernens.
Amplius haud, Bonapars, vesana superbia coelum
Provocet, atque dolos, pressum queis dirigis orbem,
Fas est averser: noscant tua tempora finem,
Et scelera: ac ideo fiat, non amplius alas
Horribiles, aquila, extendas: pennacula namque

Pessima, prava tibi capita, unguis et horrida, vanum
Omne tibi et corpus. Subigant te foederis arma
Eja iterum Regum, quos tanto robore claros
Delicias populi grati venerentur amatas. — Fons ubi —
— Atque, ubi torret aquas Titan ardentior igni,
Insula, quae vastis angusta assurgit ab undis,
Sacra Helenae minimam, dum non suffecerat orbis,
Non deploratis tandem dabit ossibus urnam.
Sic dura de vi tellus solata levetur,
Atque diu tandem composta pace quiescat.
Sic ait Omnipotens vultu, quo cuncta serenat,
Componitque mare: unisono jam murmure Divi:
Fiat, conclamant, fiat Divina voluntas.
Tunc junctis citius nebulis occluditur aether:
Lumina laeduntur subitis oppressa tenebris,
Quas geminavit equos immergens aequore Apollo.
— Fons ubi Bellaqueus captivum jure profano
Sanctum Pontificem reprimit sua jura tuentem,
Quae super Vrbe tenet Roma, Regnisque vetusta,
Quae rapienda cupis; illic illic loco eodem
Vertice de summo luteo pede ad infima lapsus.
Jam mutata vice indignum deponere regnum
Cogeris, atque nimis trepidans exposcere vitam,
Quam captivus ages vigilantibus hostibus usque,
Exspes ut fias reditusque fugaeque novandae — Atque ubi —

LIBER V.

DANT operam sceleri Patriam qui perdere tentant,
Atque fovent animis. Stipendia Dalmata miles
Haud numerata dolet. Facinus Valaressus id audet
Proditor indignus: stationes scripta per omnes
Consulto Illyricis repsere minantia damnum.
Callida verba refert scriptis, quod nempe Senatus
Contemptor fidei, sacrataque jura recusans
Ipse daturus eos, postquam spoliaverit armis,
Francigenis. Tumidas tunc Dalmata concipit iras,
Qui centum conferre manus, et brachia centum
In caedem Gallorum, justa et in arma micabat;
Hinc jacuisse minas, hostemque assurgere taedet,
Mussitat, et tacita torvus commurmurat ira:
Ignari atque doli (voti apto tempore compos
Proditor iste fuit) Patres timuere tumultum.
Intereaque Ducis subeunt penetralia inertis
Mente Viri prava, et famosis moribus atri,
Quos turpis Bonapars consulto miserat isthuc,
Cui crescit scelerata sitis, praedaeque cupido.
Hos inter primus, Venetos quem poene decebat
Complecti studio, fuerat Gallinus iniquus:
Nam largas congessit opes, cui pondera nummûm
Litibus oppressi versabant summa patrono
Eloquii pretium: Spada argentarius alter,

Qui nuper fuerat plumbato e carcere liber.
His comes adjicitur de plebe Georgius ima,
Qui latices glacie concretos, dulce pocillum,
Atque Arabes fructus, potus, bellaria vendit.
Bajulus hujus erat genitor depulsus in oras
Adriacas stimulante fame, vendensque lacertos
Vilibus ipse operis nato congesserat aurum.
Jam Battaja animum pridem devoverat istis,
Qui clam Francigenum congressus nocte coibant.
Ante Ducem sistunt erecta fronte, Ducisque
Adjecit formido animum: ora Georgius ecce
In tales solvit voces: Quaenam imminet, eheu!
Quae clades Venetis! hausi quaecumque fatebor,
Quid cupiant Galli, quae sit fiducia nobis.
Forte trahunt memet, quin copia certa sciendi
Sit data, praedulces hesterna nocte sodales,
Splendido ubi luxu genialis coena paratur.
Hic Viletardus erat: scivi nam postea quaerens
Nomen et officium: a secretis munere fungens
Gallorum penes Oratorem: assidere mensis
Ipse stupens animo novi ex sermone patentes
Francigenas plures: faciunt sermone vicissim
Plurima verba suo: simulans non noscere linguam,
Liberius causas illis tribui ipse loquendi
Auribus ast hausi, quod erat sententia Gallis
Imperium tandem Venetum, et mutare Senatum,
Arborem et extolli cito Libertatis ab ipsis
Illyricis, quorum Gallis mens firma favebat.
Tunc subito glacies nostros obstrinxerat artus,
Pallor, et ipse rubor conterrita tinxerat ora.
Sic patriae fortuna, et tanta pericula nostram
Turbarant mentem! memet Viletardus at ipse
Viderat attonitum. Mensis epulisque remotis,
Coenati petiere domum: solusque manerem
Annuit ille mihi. Cur corde ita concitus essem?
Pone metum, dixit. Sed ego: Scius omnia novi,

Et certe heu? patriae cladem fortuna minatur.
Ille sed irridens: Cur tantum pectora cogis?
Sint nova cuncta decet per nos: quod debuit ortum,
Debet et occasum: fatum insuperabile cunctis:
Quattuor ecce dies: facinus transferre licebit
Forsan ad usque diem Veneris. Sic ille profatus
Imposuit, memet, quamvis renuente, ferenda
Foedera summa tibi, placide ut res cedere possit.
Ast quid agit rerum Dux hoc discrimine segnis?
Fas erat aut hominem pelago submergere vafrum,
Aut potius celsa mox praecipitare fenestra,
Vrere subjectis flammis, aut carcere duro
Damnare, aut cogant poenae deferre rebelles.
Dux paleis levior, victus formidine pallet,
Abruptis verbis: Viletardum, dixit, adite,
Orantes patriae causam, atque ambage remota
Commendat certis, quae sit sententia, scriptis.
Interea metuum fixo dum fluctuas aestu,
In sua Concilium penetralia convocat ille.
Aspicite, o Cives, oculis lugentibus isto
Tempore Concilium, patriae quod jura lacessit,
Nullaque nos inter (doleat!) conspexerat aetas.
Intersunt quadruplo Sapientes ordine Patres,
Queis male concessum diverso tempore nomen,
Sexque Ducis Consultores. Collegia gressu
Tres subeuntque Viri propero, qui in munere praesunt
Quadraginta Viris, quorum est de crimine justum
Mittere judicium, qui et habent a cri ine nomen.
Tres quoque conveniunt legum jurisque patroni,
Atque Viris damnant capitalia crimina coram
Quadraginta, petitque decem pars terna virorum
Exlex Concilium: duo quadragintaque toto
Sederunt numero. Postquam alta silentia facta,
Dux prior emittit squallenti corde querelas:
Magna quidem, atque heu! saeva premunt discrimina rerum:
Hostis ubique premit, nec pulvinaria tutos

Excipient nosmet praesenti hac nocte timentes.
Gallorum nuper legatos pandere mentem
Nuper ego audivi, nec erat concedere nostrùm.
Scripta dabunt oratores referentia quidquid
Nos poscit Bonapars: quae sit sententia, nobis
Dicere credo nefas: tantum nos nempe necesse
Nunc spectare modum, quo sint discrimina tanta
Cognita Concilio Magno, cui summa potestas.
Consulat imperio, imperium qui conficit ipsum.
Sic fatur lacrymans: Oculo Delphinus arenti
Exsilit, et Patribus sic ore loquutus inepto:
Nil opus est lacrymis: non est tam perdita rerum,
Credite, summa: mihi facilis reparatio casus.
Dum me fungentem legati munere haberet
Sequana; nam fatear, stricto me foedere amoris
Hallerio junxi, cui aeraria credita Regni.
Ipse Bonaeparti primis est junctus ab annis
Pignore amicitiae, Æneae tamquam alter Achates.
Hinc mea tota fides, ni me sententia fallit,
Vrbis et hinc nostrae spes est sumenda salutis.
Hallerium rursum cur non invisere possem,
Et renovanda fides, ut verba precantia fundat,
Atque Bonaepartis flectat fera pectora amicus?
Optima sensa puto: stat vos decernere, Patres,
Has risit voces iratus corde Capellus,
Egregius de ter ternis Ædilibus unus,
Qui Templo antiquo invigilant tibi, Marce, sacrato,
Cujus et officii splendor non major in urbe.
Haud opus est verbis, quae tu diffundis inanis
Tempore tam duro, densis mersoque tenebris:
Arma salutis erunt nobis causa, arma salutis
Prompta manus capiat: factis ostendere fas est
(Dum nihil emulcent immitia pectora voces)
Virtutem infractam, membra atque exercita bello.
Ipse ego, Pisauro constanti pectore fatus,
Ipse ego nulla quidem, solis nisi cernere in armis,

Signa salutis adhuc possem: mentemque animumque
Gallorum sanguis nimium Laugerius urget.
Nonne modos experti omnes, quo barbara semper
Pectora placentur? quanam utilitate juvabant?
Si duram sensit transacto tempore mentem
Cura, laborque meus, modo num cessisse putatis?
Quousque trahet vestrum praeceps dementia pectus?
Anne putanda salus, quibus est sitis atra cruoris?
Ergo hoc imperium servatum sanguine tanto,
Quod potuit nullus bello foedare protervo,
Quod nobis jam mille ducum peperere labores,
Ergo jugo dominos fures patietur iniquo?
Venturis maculam famosam extergite saeclis:
Nos nova posteritas tardum miretur in aevum,
Vt laudemus avos, laudent sic nostra nepotes.
Jamque suam populi ore omnes inhiante salutem
Nos poscunt: et adhuc segnes concedere pacem
Italiae populis pressis gravitate latronum
Anne erimus, laesumque decus patiemur inultum?
Eja, hastas augete novas, ne abscedite ab armis.
Dixerat, et surgit docta gravitate disertus
Justinianus amans patriam: convenerat illuc
Pro patria nuper cum Napoleone locutus,
Talibus ante illos verbis dissolvit et ora:
O quantum, Patres, operam nos perdimus omnem!
Plurima fatus eram: verbis non flectitur ullis:
Effera sed tumido horrescunt praecordia motu,
Vt serpens calcata pede: et nos despicit atrox,
Francigenûmque petit conversa caede cruorem,
Laugeriique sui: sumant de crimine poenas,
Vltor ego, dixit, me jam nihil aequora terrent,
Sunt magis apta meae, quae tentat maxima, menti.
Quae non tunc fervens animoso pectore dixi!
Quanta timere fuit? jam isthinc et corripe gressum,
Dixerat, hinc et abi, ne te mala jussa sequantur.
Ast ego: non abeam, patriae persolvere fas est

Jussa mihi, mortem est civis contemnere honesti.
Eja, feri, en pectus, salvetur patria tantum.
Si patriam turpi maculatam crimine censes,
Obses ero, timeoque nihil committere vitam
Ipse meam tibi: si rénuis, non crederis heros.
Tunc stupet attonitus Bonapars, qui cernere nunquam
Jam solitus fuerat virtutem pectore tantam,
Quique nequit fovisse quidem, nisi vilia, foedus.
Constitit ille tamen: stupor ora minantia laxat,
Ira etiam friget, verbis et dulcibus ille,
Blanditiasque inter miscens perjuria, nec non
Associans dextras ludenti foedere dixit:
Mantua me expectat, vestro deferte Senato,
Quod volo, quod jubeo: citius responsa ferantur.
Si annuerit placida quaesitis Adria mente,
Vltus et exemplo sit Gallus sanguis acerbo,
Hospita quem sparsit contra jus omne scelestis
Terra modis, qui et adhuc iram jam clamat inultus,
Omnia promitto Venetis, tutamina firma
Illis concedam facilis, Venetusque reversas
Sub ditione sua tandem mirabitur urbes,
Almaque pax etiam Venetis optata redibit.
Signa meis quaero verbis si creditis, ullam
Non dant arma fidem: video vos milite denso
Vndique Francigenis urbem cinxisse minantes.
Curnam? quae metuenda manent? mihi credite vero,
Credite, Gallorum perquiritur ultio tantum.
Sic ait infamis. Caeca caligine fusi,
Dicite, credetis votis fallacibus usque?
Rusticus et quondam verbis sic mollibus urget,
Vt sibi fulmineos dentes Leo vellat, et unges:
Eruit incautus, tunc ille occidit inermem.
Sic Lupus in pecudes avidus defigere dentes,
Si firmum torvis oculis, et dentibus albis
Viderit ipse Canem, rabiem et vestigia vertit:
Sed Cane longinquo, naturae semina sectans

Ad praedam rediit majore cupidine rumpens.
O patria, o Cives, fuso gens sanguine nata
Quid vobis sperare dabit? delusa quid ultra
Pellitur ipsa fides? nobis dum jurat aperte
Hic modo pacificum mitis concedere tempus,
Seditione nova reliquas non tangere et urbes;
Vidimus invitas nostris avertere regnis
Conspicuas urbes. Heu quae vecordia coepit!
Erroris pigeat: quamvis nunc sera parentur
Arma virique; tamen liceat sperare salutem.
Sumite et arma citi. si fata tenacia scripto
Indomito vetuere diu subsistere nostrum
Imperium, o primum impavidi in media arma ruamus,
Et navale, ratesque igne et ferroque susurrent.
Essemus miseri sine crimine, sorque pudore
Deploranda foret nullo, defleret et aetas
Justis fortunam lacrymis ventura nefandam.
Dixerat, et tremulo surgentem e pectore fletum
Haud oculus cohibere potest: sic corda potenter
Sic animosa dolor torquet: dolor omnia vincit.
Sed surdis, eheu! voces dedit auribus ille,
Praescius et lacrymas duris profudit inanes.
Hos equidem dentes dicam genuisse draconis,
Vel, quod Deucalion sevit, de marmore cretos;
Nam documenta ferunt, quo sint de semine nati.
Pallida nox tacitum vergebat in aequora currum,
Tramite subjectum recto Titana relinquens,
Qui tunc Antipodas meliori lumine spargens,
Heu miseris lumen fuerat mox triste daturus!
Ecce supervenit Patribus, qui talia inanes
Alterno sermone loquuntur, epistola curis
Plena novis. Madidus sudore, rubentibus ora
Perfusus flammis, inhians hanc nuncius affert.
Miserat hanc Condulmerius dignatus honore
Haud Equitis merito, atque ingratus proditor Vrbis.
Hic praeerat classi, fuerat quae fusa per omnem

Multa lacum, Medoacus ubi cum gurgite lento
Grassas miscet aquas, arces, urbemque tuetur.
Tunc subito visis linquunt subsellia scriptis
Certatim Patres, varius timor excitat omnes.
Pars timet aerumnas sibi, pars sua et irrita cernit
Consilia, et tacito pars pectore gaudia sumit
Vrbis vicinum fingens in mente periclum.
Quisque morae impatiens longae, studiisque repulsus
Diversis, inhians urget jam scripta tenentem:
Quae miseram, Patres, urbem nunc damna minuntur?
Quo speranda salus? nostram contendit ad Vrbem
Impatiens Corsus, noctuque dieque laborat.
Construit hic arces, ausu castella parantur
Terrifico, Medoacus ubi limum aggerit udum,
Et pedibus siccata palus vestigia praefert.
Dolia magna super, terram secta abiete firmam
Galli imitantur, aquas sic, mostra et moenia spernunt.
Hic ponunt equites, illinc et milite replent,
Et maris insomnes optant hac nocte refluxum,
Vt nostram versus miles se conferat Vrbem,
Aut urbem propius moles urgere natantes,
Vt facile ardentes possint emittere glandes.
Quae peragenda mihi duro discrimine rerum?
Anne aliquid tentare armis simul undique motis
Fas esset, dudum mihi mens incerta pependit:
Quippe nefas, quando sententia vestra latebat:
Insuper et metui, subitae ne concitus ira
Majores Bonapars clades, stragesque pararet.
Attamen has operas, tantum jubeatis, iniquas
Absque mora explosis facile rescindere possem
Tormentis, si sit nobis data copia agendi.
Eja, daturne ausum tentare, o dicite, Patres?
Ast nimis iratos timeo, Gallosque minantes.
Talia perstabat memorans, tectusque sciebat,
Quae socii infestis animis ventura parassent.
Obstupuere probi, pavidusque per ima c currit

Membra tremor, coma diriguit, gressusque tremiscunt,
Atque petunt gemitu subsellia tarda labantes.
O viles nimium! cunctos heu terror ademit
Sensus! Nonne subit Venetos fregisse vetusto
Tempore magnanimos conamina tanta Pipini,
Acer ut armatas gentes inferret in Vrbem?
Nonne subit Liguresque rates mersisse profundo
Infractas Victoris opes, dum Claudia, firmum
Praesidium Venetis, ceu moenia, Marte feroci
Procumbens cecidit, nostris et timuere ruinam,
Objicibus nullis, hoste atque urgente penates?
Nunquid et Europae conatum elusimus omnem
In mala nostra feras ullo sine fine cohortes
Vndique ducentis? terraque marique procellas
Numquid priscorum avertit sapientia Patrum:
E contra, o quantum mutastis tempora, Cives!
Foemineo gemitu pandunt atque ore dolorem,
Qui pietate oculis possent abstergere somnum,
Excutere atque animum patriae ad tutamina natum.
En Delphinus Eques oculis arentibus, atque
Nudus opum, hauserunt quas turpia scorta, Grimanus,
Et quoque pellaces ullis Battaja negatos
Praesefert oculos lacrymis, Pisanus et ille,
Quem vetus infamem signavit in ore cicatrix.
Immeritis fuerat donatus honoribus ipse,
Qui genus antiqua deduxit origine clarum,
Sed non ingenium proavis illustribus aequum.
Proditor heu patriae turpis (quis crederet unquam?)
Qui magis (o pudeat!) cumulatus honoribus esset!
Sive dolus fuerat, sive insuperabile fatum,
Seu fraus Gallorum longaevo a tempore structa;
Nullus in auxilium patriae convertitur acer.
Jamque silent, nullis verbis, penetralia circum
Interdum auditur fremitus, suspiria, fletus.
Atque licet nulli certam sperare salutem.
Vt magis ipse queat trepidos confligere vultus

(Triste !) timor, solvit sermonibus ora Donatus:
Nescio quis sensus cordis proferre coëgit
Verba, fuit vel amor patriae, aut formido tumultus,
Quem mox caede trucis in cives intenderet omnes
Gallica sive fides, seu nobis tristia fata,
Sic igitur fatus: Quo nunc foret utilis eheu!
Copia praesidii? quaenam vis terruit hostem?
Milite quam multo reges de sede potentes
Horridus abstraxit, populos tremefecit et omes?
Qua vi Gallorum vultis depellere vires?
Impar est quaevis: velut amplo vortice torrens
Flumina parva rapit secum violentus et altus:
At, quacumque trabes retinent, obductaque saxa,
Spumeus, et fervens, et ab obice saevior urget,
Horrificoque sono longe et late omnia complet.
Addita vis urbi nimia est, quae concitat iram
Nempe Bonaepartis rabidam. Si hac urbe potitur,
Quae mala, quae caedes miseris, et quae aspera dantur
Degustanda animis! nullo discrimine atrocis
Patricii, civesque forent nova praeda furoris.
Saepius hoc Bonapars iterumque iterumque minatus.
Creditis Illyricis, quorum tutamine nixa
Vrbis versatur adhuc? gens est in sanguine gaudens,
Quam vectare juvat praedas, et vivere rapto:
Nil, nisi nummus ei: atque fides depellitur auro.
Quae facienda, caput dum tanta pericla supersunt?
Quid? perlonga animos nobis pax fecit hebentes,
Et modo deficiunt aptis aeraria nummis:
Luxuries juvenes fragens effunditur amens,
Atque senes venerem stimulanti corde sequuntur:
Et nihil est illis (pudeat!) res publica curae:
Et Patria interea gemitus dispargit inanes,
Aspicit et lesos mores, despectaque jura.
Substinet imperium valido fulcimine virtus:
Tollite virtutem, leviori concidet ictu.
Denique si cogente rota fatalia nentes

Fila Deae nostram prorsus statuere ruinam,
Eheu! quid prodest vires opponere fatis?
Omnia fluxa nimis, nec duratura per aevum.
Cedite Francigenis: videor sic volvere Parcas
Terribiles visus, atque armatas forfice dextras:
Illyricusque petat regiones, quas colit, atque
Et removete rates, atque ingrediantur amico
Foedere Francigenae: sic gloria magna manebit
Sic vos sanguineum amovisse a civibus ensem.
Fatus erat. Condulmerio, statuentibus illis
Jure sibi nullo, responsa haec nuncius affert,
Quae tamen ostendunt non dum fore lumen ademptum:
Impediatur opus: tentent ne accedere Galli.
Sed mala quanta fluunt! rupto tunc argine currunt,
Cum primum incipiant dulcem turbare quietem.
Ecce alia de parte Georgius ocyor aura
(Certe o numen abest!) mentes versura labantes
Haec responsa dabant: scriptis mandaverat istis
Haec Viletardus atrox inflato pectoris aestu:
Nulla mora, atque preces: precibus nam clauditur auris:
Per me vult Bonapars Venetûm decernere partes,
Atque sua en paucis mens; libertate fruantur
Carcere deducti, et concessa pecunia placet.
Pandantur populo quaevis cito vincula coram.
Quos stringit carcer graviori crimine sontes,
Anquiratur opus de illis: ob crimina nulli
Occurrant letho: subito donatus et auro,
Depositis armis, repetat sua Dalmata tecta.
Atque Foro Libertatis cras surgat in amplo
Arbor, et innumeri jactentur ad aethera plausus:
Hic focus antiqui comburat stemmata regni:
Hic clamet praeco: transacti temporis acta
Ex animo effugiant rapientibus obruta flammis.
Tradere, quae libeat, scriptis data copia cuivis.
Bis deni quatuorque Viri moderamina rerum
Ex populo lecti, totoque ex ordine Patrum

Sumant, praesideatque Spada istis, Duxque Maninus,
Deposito, prius ornabat quod tempora, serto.
Et Venetis urbes stricto se foedere jungant,
Dalmata quas habitat, cunctas, Orientis et omnes,
Quasque per Ausoniam legum moderantur habenis,
Haec nova gaudentes cives nunc omina sumant.
Atque Parisiacam orator Gallinus ad urbem
Compositurus eat perlongae foedera pacis:
Hunc Sordina pari fungens comitetur honore.
Atque Oratores quocumbue ex ordine lecti
Ad Reges, ut mos, referant insignia pacis,
Accipiantque novi, in patriam redeuntibus inde,
Quos modo misistis vestra de gente togatos.
Bis duo mille Viri nostro de milite vestram
Adveniant Vrbem: sit eis navale, ratesque,
Et data quaeque natans hinc illinc insula curae:
Obsidione gravi cives gaudere solutos.
Et revocate rates, classem et quae fusa per undas
Vndique defendit vano tutamine vosmet:
Nobilibusque, quibus ditissima praedia desunt,
Quos premeret certe miseros immitis egestas,
Cum jure exciso regerent non amplius urbes,
Ex queis praetores opulenta tributa trahebant,
Delapso imperio, nummos praebete per annos,
Donec privatae complebunt tempora vitae.
Et bona, qnae cogunt aeraria publica, victum
Nobilibus, seu inducta recens sors publica donet.
Civibus aequa fides quoque debita foenora solvat.
Attamen exquiret Bonapars, quae commoda tangant
Francigenas, melius hac de re consulet ipse.
Si vos pacatis animis censere paratis
Foedere justa, nihil vestra pro parte timendum:
Immo per quodcumque sacrum, per Numina testor,
Nec fingor vanus, per conscia Numina veri,
Induperatorem in tales adducere partes,
Vt sua consilia in melius referat, foveatque

Et mecum facilis populum, gentemque togatam,
Vt tres poena Viros vinclis non amplius angat.
Et Pizzamanus magno de crimine foedus
Irarum stimulos tandem mitescere cernat.
Scripta manu signet, signet nunc quilibet ista,
Proditor infami Pisanus corde susurrat,
Et probet ista. Novus fremitus totam insonat aulam,
Atque Viri septem concussi horrore refusam
Rejiciunt vocem, et tristes subsellia linquunt.
Hos Inter Pisaurus acerbo pectore deflens
In tales rumpit voces: Heu fata repugnant,
Vt Veneti causam possint sperare salutis!
Quid mihi vobiscum, qui tam virtute vetusta
Degeneres? curnam Corso servire paratos
Oh stupeo, cum regna sibi, jugulumque Senatus,
Cunctaque jura petat? quid posset plura jubere,
Quae non cedatis, si sint majora petenda?
Non feret ex nostra sceleratus praemia parte,
Et quoniam, tantum cum non perferre valemus,
Vt videam hic intus furibundi militis enses
Aurea pepla meae patriae lacerare pudicae,
Templaque sacra rapi, et furiis saevire superbos
Per fora, perque vias: quoniam non amplius almae
Auxilii patriae laribus concessa potestas
Haud mihi praestandi est civi: nec mortis honestae
Spem capiam in patria, spernentibus optima vobis,
Hinc abeam: jugulo nunquam se polluet isto
Francigenum, Corsique manus: locus omnis honesto
Est patria: Helvetii meliori corde fugatum
Excipient: atque ire juvat: nam tuta relicta
Vindice lege fuit libertas nobilis illic:
Hoc solum restat, si non mea jura, tuendum.
Sic absens non angar ego, aeque ac si ipse viderem,
Cum vera haec populi libertas, quam ante vetusti
Servarunt virtute pares tot rebus iniquis,
Libertate ruet, quae vos in vincla reducet.

Dixerat, et discessurus vestigia vertit.
Jamque viam egregius coeptam properabat, amici
Obsistunt precibus, circum stipante corona;
Sed removebat eos. Tunc flens quoque Sandius inquit:
Ne fugias, Pisaure, precor: fiducia prorsus,
Te fugiente, fugit: patriae fulcimina desunt.
Te patriae serva: justumque virum, atque tenacem
Propositi furiosa movent non ora tyranni,
Numquam civium et ardor agit vesana jubentum:
Impavidum et feriet, fractus si labitur, orbis.
Composuit verbis lenitus talibus ora
Pisaurus, saltemve fidem praesentibus addit.
Temperat a lacrymis nares atque ipse rubentes
Pulvere Nicosio recreans subsellia rursus
Deflenti volvens animo lugubria replet.
Ast iterum rabido Pisanus perfidus ore,
Nubibus obductam primum retinere revisens
Consilium frontem, tanquam supponere averet
Prudentem civem, fato properante, ruinae:
Praesagusve foret, fugeret si civis honestus,
Quod traheret reliquos sumpturos tempore forsan
Regna abrepta sibi rursum, ulcissentibus Anglis,
Quos durus novit generoso robore claros;
Vanam spem, dixit, vanam, per Numina testor,
Concipis effugii: melius desistere coepto.
Ergo civis erit, nulla formidine, honesti
Pacata tantum urbe frui, et praedulcia pacis
Praemia corde sequi laeto? fugiemus ab urbe,
Cum turbent circum diri mala semina belli?
Hic pietatis honos? ingratus proditor urbis,
Qui fugiens dedignatur profundere fletus
Afflictis supra cineres cum civibus: anne
Fata licet dominis miseram patriam hostibus addant,
Anne lares pereunt, patriaeque extinguitur ardor?
Hic ego consultus melius, qui ferre salutem
Consiliis aliquam posset, decedere nullo

Ipse modo patiar civem: secus, ipse fugacem
Delaturus ero: Gallisque jubentibus ipsis
Vt nunc tresque Viros, Pizzamanumque coërcet
Carcer, quos custos oculis tutatur apertis;
Sic fuga et ingrato meritas paret improba poenas.
Nonne magis Galli, quibus est damnabile crimen
Effugium, cupient inimica intendere saevo
In nos tela modo, atque cruorem effundere nostrum
Per fora, perque vias bis jam octo mille virorum,
Qui tentant nostrae insidias contexere vitae?
Quippe mala extendunt tetram in nos plurima noctem!
Solvite et imperium, et rebus parcamus iniquis,
Atque manu haec citius signetur pagina vestra,
Quae sinat optatam pacis perducere lucem.
Annuit et Maurocenus, perjuria miscens
Addidit ipse fidem, quod tracto in litora bello
Fervidus infestis animis, telisque paratus
Conciperet populus vires, irasque rebellis.
Namque sciebat, ait, populum mussare frequenter,
Et conjuratum statuisse invadere vitam
Nobilium: hinc opus absque mora concedere regnum.
His bonus assurgit generoso corde Priulus:
Ad populum phaleras: quid nos terrore fatigas,
Atque ambage nova, cui non praestabitur unquam
Vlla fides? ubi, quive duces? age, nomina defer,
Si patrii tantum temet pertentat amoris.
Ergo licebit, ait, fidei permittere cuncta
Victoris, caecique hosti confidere falso?
Nonne dies nobis antiqua ex lege per octo
Quodlibet est scitum expendendum? maxima rerum
Nunc ullo discussa ruent sine pondere mentis?
Tantane percurrit vestros formido per artus?
Plura locuturum Ruzzinus rumpit: Ab atris
Insidiisne potes vitam defendere nostram?
Proh juvenis jactas incaute furentia verba:
Nonne patet modus, Adriacas quo vincere possint

Francigenae vires, facile et penetrare lacunas?
Irridet, Bonapars certa spe fervidus ardet,
Qui nullum toto cedentem ex agmine vidit,
Et numquam ipse suos ullis pallere periclis.
Novi ego posse die nostram uno vincier Vrbem.
Perfide, sic licuit Patrum deludere mentes?
Et foris augescis pugnas, intusque timores?
Numquid, ubi parvo Margheram examine Galli,
Quos vestis discissa tegit, rerum omnium egeni,
Tormento retinent uno, circumdare totam
Tu jactas urbem: et classem superare per undas
Pergentes pedibus Venetam tot viribus auctam?
Haud satis est verbis: surgit meliora monendo,
Solvit et infandas etiam Battaia voces:
Ipse diu tacuit lingua, sed et egerat ante
Nempe suas partes, et telas ipse tumultus
Texerat obtectus, fuit et sic ore locutus:
Ne tibi displiceat, si nunc contraria menti
Nunc, Ruzzine, tuae profert sententia nostra.
Parce quoque et, Pisane, mihi. Est asperrima, novi,
Quae reboat late, atque minatur ubique, procella.
Tentaret tumidum siccare fretum, effodere isthmum,
Atque manu captare auras, et stringere montes,
Qui cuperet nostris avertere sedibus istam.
Scilicet attonitis quoque jamdudum auribus hausi,
Concutiturque mihi gelido et nunc frigore pectus,
Trux quod avet conjuratis gens ensibus omnem
Nobilium caetum sacris transfigere lectis;
Si neget imperium firmus mutare vetustum.
Ast quid opus, nobis cum non ex lege potestas,
Praecipitare modos, graviumque pericula rerum?
Dedecet hoc nobis: soli non possumus ipsi
Cedere Regna Duci, bello licet opprimat acer:
Absque mora, rite haec cunctis peragenda solemni
Concilio Patribus, quorum stant jura, coactis.
Nempe potestatem nobis addicere tantam

Jura negant: huc nos privato more fatemur
Adventasse, novoque modo isthic esse vocatos.
Copia nulla data est rerum decernere summa:
Sed quid agendum istis potius perpendere fas est
Temporibus, ne damna malis majora supersint,
Nec nova posteritas, nostroque e sanguine nata
Progenies, regni cui jura capessere habenas,
Percita nos rabie, nostrum obtestetur et ausum,
Inter utrumque labans an debilitate notandis,
Perfidia anne turci, gravius convicia jactet.
Scilicet adveniat tantis quoque luctibus istud,
Quod ventura notent turpi nos saecula fama.
Cogite Concilium: .Toti suprema potestas
Est illi: poterit res et divellere acerbas,
Consulere atque sibi, nobisque, et civibus aequum.
Heu quantum sensum, atque animum praesentia torquent,
Dilaceransque dolor pertentat pectora nobis!
O mihi non maneat misero pars altera vitae,
Ne fera contingat patriae me fata videre!
Dixerat, et tantis posset quis credere verbis?
Novimus et qui te blando corruperit auro,
Novimus ambages, et quos decepit amicos
Mens tua praeceptis Gallorum dedita foedis.
Digna tuis jam te expectant proemia factis,
Perfide, terrifico sternet mors horrida vultu
Jure dies: immaturas ut sternere messes
Vidimus heu! nimbos, curisque onerare colonum,
Qui videt abreptos una sibi luce labores,
Qui multos petiere dies, et taedia longa;
Sic mors abradet tacito cita et abdita gressu,
Cum mensa excipiet laetantes inter amicos.
Res se ita semper habet (quis Numina sancta negaret?)
Quod fuit interitus transactae ut tempora vitae.
Interea trepidus suspiria fervida ducens
Dux ait: O Patres, quoniam infelicia cogunt
Tempora, ut obstantem sit opus pulsare procellam,

Haud me, quod res fert, unquam praestare pigebit.
Ista eheu! pectus tantum modo cura remordet
Tempore vitales auras traxisse nefando.
Primus ego exuvias, ut sit modo Patria sospes,
Regales ponam, sertum de crinibus ipsum,
Exsolvamque humeros maculosae tegmine pellis,
Et manibus, regimen Venetûm quae postea sument,
Ipse ego longaevas tradam pacatus habenas.
Atque, quibus Marco delubri est cura dicati,
Ædiles etiam nostra haec exempla sequantur:
Hi durant etenim per vitae tempora honores.
Et semel egressum non ista palatia memet
Amplius aspicient, placido peragam omnia corde.
Cras quoque Concilium Magnum concurrat in aulam,
Mentibus augustis luctus pendatur acerbus,
Atque probent, reprobentve meam suffragia mentem.
Obstupuere Patres Manini vocibus aegri,
Atque boni fremitu excipiunt haec verba silenti.
Nonne vetat, Manine, tuum lex ponere sceptrum,
Atque Ducis quondam sumptos demittere honores?
Jure nequis: etenim data sacramenta repugnant.
Hei mihi, quae Patrum condunt velamina sensus!
Nullus ad exanimem vertit sua verba, Ducemque
Solatur dictis, nec jam labentia pectora fulcit.
O si servassent animum praecordia fortem,
Et retinere tuum, quo cingis tempora, sertum
Adriaci aspicerent, delusam perfida mentem
Turba hominum forsan lugenti corde doleret!
Sed rursus fari Pisanus talia coepit,
Quem nec amor cogit patriae, nec concutit horror:
Hic equidem admiror, nullo impellente, paratum,
Vnica quem pietas traxit, deponere sceptrum
Exhibeat temet regum jam pectora vincens,
Qui saepe ardenti regni ambitione trahuntur.
Mens animum mirata tuum, quas texere laudes
Nunc poterit, vel quae vox esset laudibus apta?

Si quid ego innumeris prope laudibus addere vellem,
Jam videar tumidus potius decerpere multum.
Tempora dura leget sinceris tradita scriptis
Posteritas, sortemque tuam deflebit iniquam;
Sed quoque cogetur veras concedere laudes.
En imitabor ego generosum pectus amore
Impulsus patriae: vestes et murice tinctas,
Ex humerisque stolam auratam deponere promptus
O utinam cuncti spectata exempla sequantur,
Et dent sponte sua, quod vis malefida requirit!
Sic ait, et Patres sedilia linquere suadet
Praecipitas tunc convexo nox humida coelo,
Et quae oculis fundunt labentia sydera somnos.
Ante tamen, quam moesta Ducis penetralia linquant,
Fert sine jure Patrum firmo sic corde voluntas:
Haud ulla impediant venientem obstacula Gallum,
Et citius classis per aquas adfixa recedat:
Inque suas mittant numerata stipendia terras
Illyricos, pubemque armis animisque timendam:
Maxima consultum Patres vocet aula frequentes,
Cum primum celso niteat lux crastina coelo.
Sic erit ipsa salus maturis credita scitis.
Haec igitur Patres, spe discedente, timentes
Ancipiti Condulmerio mandata remittunt,
Qui jam, sive dolo pectus persuaverit actum,
Seu sic praecipitans pravorum jusserit ardor,
Pleraque jussa ater factis praevenerat ante.
Interea malesuada cohors, quae magna minatur,
Promittitque sibi, concepit gaudia mente:
Fidit enim tantae praeberi praemia fraudis,
Quae spondet Bonapars praedam petiturus opimam:
Caeca at avarities pejori illuditur astu.
Sic Lupus, et Vulpes quondam versuta Leonem
Adsequitur comitem praedae, et jam mandere captam
Dente inhiant avido: ast factis Leo partibus omnem
Adripuit praedam jactans vim in corpore summam:

Ergo pudore trahunt caudam, sortemque lacessit
Irrita lingua probris, et frustra verberat auras.
Colloquium tandem tantis affectibus undans
Solvitur: aeterno afficiant opprobria theta,
Nomen et afficiant hominum, qui damna pararunt
Tot sibi, tot nobis nulla jam sorte levandis.
Assurgunt, subitoque locum, et sedilia linquunt.
Murmure percussis resonans est aula frementem
Parietibus dare visa sonum, atque irascier illis.
Spumantes animis civilia bella nefandis
Tecta Ducis linquunt Vrbis miserabilis hostes.
Alternant falsi dicentia verba salutem:
Nempe his tota salus pretium mercesque scelestae
Proditionis erat. Contra Pisaurus honestus,
Vt numquam motis oculis, torvisque juvencus
Aspicit agricolam a stabulo vestigia ferre,
Abstracta matre, ut subeat grave pondus aratri,
Sugere dum sperat praedulcia munera lactis,
Et dolet ipse gemens iterumque iterumqùe vocatam;
Augurium renuens obliquos torquet in illos
Indignans oculos patriam miseratus amatam,
Neve putes thalamis demissum membra quieti
Ire feros: magni avertunt hac nocte labores,
Ne forsan sponsae a tali improbitate remotae
Postpositae possint ulnis vincire lacertos.
Cura sed atra trahit, facinusque in pectore versant,
Quo decreta queant Magni deludere sancta
Concilii, primum Titan cum fulserit orbi.
Et fora circumagunt ausura fronte, viasque,
Tecta petunt comitum, quos nigra astutia junxit,
Decernuntque modum, patriam quo perdere possint.
Ipse putes, si forte tuos offenderit usquam
Gens oculos talis, postquam discessit ab aula,
Nocte sub oscura, fraudesque faventibus umbris,
Per nemus occultum rabidos spectasse leones,
Quos agat exurens rabies fervoribus artus,

Aut agitent malesuada sui jejunia ventris,
Et quem dente vorent nemoris per pervia quaerant.
Heu Patria infelix! quisnam dolus improbus urget,
Quaeve oculis trepidis nubes obvolvitur atra!
Heu pietas maledicta, homines quae pertulit istos
Vivere, cum decies merito per crimina letho
Debuerant dedi: decrevit Numen ab alto,
Falsa quod elueret dignas clementia poenas.
Nam tenet hostilis strictos injusta potestas
Inquisitores, sanctum, augustumque tribunal,
Ad quorum nomen populus formidine pallet.
Sic scelus egit atrox de illis impune triumphum.
Jamque petit lectum curis agitatus acerbis
Pisaurus, nec grata fuere cubilia lasso.
Plurima volventi stirpes tribulique videntur,
Quae fuerat quondam laevissima lana quieto.
Jamque aeger vario curarum fluctuat aestu,
Quae renuunt oculis dulces infundere somnos.
Ecce sibi, tenebris disjunctis, fulgor anhelo
Improvisus adest, squallentia pectora turbat,
Atque resupini patriae trepidantis imago
Sese offert oculis. In nudo marmore sedet:
Deciderat pulchrum flexo de vertice sertum,
De manibusque micans sceptrum, spretumque jacebat.
Discissae vestes: oculis fundebat obortas
Suspirans lacrymas, et sic est ore loquuta:
Quae nova barbaries dextras extendere foedas
In me nunc audet, tenebris obvolvere caecis
Lumina nostra cupit, quae tam fulsere per annos
Innumeros, rapere et mihi virginitatis honorem?
Tu maciem, Pisaure, meam: tu respice longo
Fletu consumptos oculos, quos gutta cavavit
Ingeminata mihi, confixaque vulnera cerne
Pectora si gladiis foedata hostilibus essent,
Pacato toleranda foret sors improba vultu.
Ast quoniam, quos ista manus donavit honore,

Morsibus immemores pectus secuere pudicum:
Hoc piget, elusumque bonum sine fine dolebo.
Heu, Pisaure, meis solare doloribus ipse,
Nam potes egregius, nostroque medere dolori:
Auxilium populo facilis concede petenti.
Ipse Ducem exoptat, facimus qui dirigat aequum,
Perque tuas, populique manus sim a vulnere sospes,
Et merita pereant immanes morte rebelles.
Si renuis metuens, nulla pietate gementem
Insequere, excrucia, verbisque procacibus urge,
Et lacera ipse tuis plagas ferus unguibus istas,
Vulneribusque novis languens fode cuspide pectus
Da libros, fastosque focis mea facta loquentes,
Nulla nec existat factorum fama superstes,
Ne nova progenies referens haec tempora priscis,
Bella virosque viris bellisque, objurget amaris
Opprobriis memet causam passura labores,
Devoveatque piam nimium crudeliter aegra:
Et merito, haud pigeat, fateor: nam scilicet ipsa
Crescere permisi nostra mala semina terra,
Nec ferro excussi segnis capita alta cruento.
Dixit, et alta trahens de imo suspiria corde,
Fulgor abit, citius tenuis simul illa recessit.
Sic etiam, quem excussa manus succendit ad ignem,
In fumum piceus pulvis cito desinit atrum.
Concutit attonitus artus mirabile monstrum;
Nescit utrum veri sibi sit praenuncia imago,
An potius fictis deludant somnia signis.
Dum timidus, moestusque sua haec in mente volutat,
Dumque oculos agitat per caeca cubilia apertos,
Si qua parte animum delusum cerneret unquam;
Ecce novum turbat vigilantia pectora monstrum.
Hispida caesaries, turgentia lumina nullo
Motu agitata, genae sicco pallore cavatae
Albescunt, sanguis per venas palpitat omnes,
Et movet extensas nullo solamine palmas.

Hic Timor est, rabidas Gallorum diffugit hastas,
Quas agitat Bonapars trucior minitantibus ausis
Palladis horrisonae, bacchanti et milite circum.
Ipse loqui vellet, truncat sed anhelitus illi
Verba, tamen fatur concisis vocibus ista:
Heu, Pisaure, fuge: ingratis te surripe ab oris,
Nec mora detineat: ruit alto a culmine regnum.
Quippe tuum caput hostis avet, citiusque datura
Turba tuis jurata malis: satis ipse dedisti
Jam patriae; dextra heu! frustra defenderet illam.
Sic ait, et singultus ab imo gutture surgens
Truncat in ore sonos. Pisaurus dicere averet,
Sed Timor in tenues subitus discesserat auras,
Et gelidos tacite Pisauri irrepsit in artus.
Iste vir innumeris deflens affectibus actus
Haec secum: Ergo mei patriae periere labores,
Nec potuisse meis afferre levamina dextris,
Quo tanti meruere Viri tutamine quondam?
Ergo erit ipsa trucis nunc nunc miserabilis hostis
Praeda futura, ruet furor, atque licentia ferri?
Heu piget, o Patria infelix! sic fata tulere,
Ne possem validus tantis te abducere damnis!
Si meus effusus posset defendere sanguis
Labentem patriam: totum deducite, venae,
Dummodo foeda sitis fuerit depulsa, cruorem.
At quoniam sanguis perfusus inaniter esset,
Deflue per venas, donec pia Numina firment:
Quippe olim possim, nam nullus praescius unquam,
Quid sibi fata velint venturo tempore, novit,
Forsan consilio patriae solamina ferre.
Nunc tentanda via est mihi, qua tua limina linquam,
Atque alio miseram, quae restat, ducere vitam:
Namque mihi nec flere quidem, aut lenire dolorem
Colloquiis impune licebit: atrocia fata
Haec solum miseris nullo solamine restant.
Dixit, judiciumque animi cito facta sequuntur,

Atque, ut lux primum exorta est, exire, locosque
Pertentare novos, et sortem suscipit audens.
Heu fugis? atque tua manet ima mente repostum
Sic patriam rapidum, civesque relinquere charos?
Nullane te flectit pietas? nihilumne paterni
Cordis inest? opus est patriae jam semper honestum
Compellare virum solamina forte daturum.
Tene latet, quod nunc fugiens quoque proditor esses?
Haec lacrymis obstans circum fundebat amicûm
Moesta cohors, gressusque prece impediebat euntis.
Ast quid? sollicita pectus formidine fertur.
Hoc statuit, melior nec eum sententia mutat.

LIBER VI.

TENDIT ad Adriacos squallens Aurora labantes
Non radiis redimita comam fulgentibus albam,
Nec croceum vestita diem, nec flammea vultum:
Livida stat luctu, tetrisque aspersa tenêbris.
Jamque diem nobis, in fastorum ordine solum,
Nempe ferebat equis rapidis invita supremum.
Interea, dum cuncta silent, atque ipse colonus
In plumis tranquilla foventibus otia ducens
Hesternos recreat dulci cum uxore labores;
Nulla Bonaepartis vigilantia corda minacis
Abduxit requies, oculos nec somnus obumbrat.
Dum celer hinc atque hinc longe per litora currit
Ductus equo alipedi, atque viris mandata recenset:
Ecce viros nostra misit Viletardus ab urbe:
Improbitas socios jampridem strinxerat, atque
Cyrnaeo coram scelerato sistere ovantes.
Impatiensque morae Bonapars: Res quomodó cessit
Credita, ait? quaenam est Venetûm sententia Patrum?
Di faxint, celeri ut gressu mea caetera pergunt,
Sic data de Venetis mihi sic victoria velox
Auspiciis monstrata bonis: aquilasque potentes
Cominus in Venetos alas extendere opimos,
Atque tropaea datum nostris nodare tropaeis!
His contra turpes exorsi talia fari:

Vt lupus est infensus ovi, ut timet ipse colonus
Frugibus et ventos tempestatesque nocentes :
Sic Ducis adspectum timuerunt pectora nostrum.
Vox trepidans, oculosque metus suffusus habebat.
Sed tamen ingressi rursus, cum plena teneret
Aula Patres, in nos conversus frigida terror
Membra quatit subito, verborum et vena moratur.
Quae vestis talos producta fluebat ad imos
Quam mediam nectit cingens argentea vitta,
Et caput augustum crinis fictitius ornans,
Cernere nos quamvis primis assuevimus annis,
Quin, causis resonante foro, gestare solemus
Caussidici ; tamen et vultus gravitasque severa
Majestate minax excussit corda, fatemur,
Et penitus nostram mentem turbaverat ante,
Os humerosque Deos regesve videre putantes.
Postquam constitimus paullum, tempusque timori
Concessum extemplo vires revocantur, et ardor.
Fungimur officiis : et jam mihi prospera credo :
Maxima res effecta quidem: sperare quid ultra
Fas, nisi quod superest, ne adversante objice tardet ?
Ne dubites, Gallinus ait, jam pectora pridem
Cunctorum teneo, quae sit sententia novi.
Perque tuum, qui omnes reges exterruit, ensem,
Perque decus, quo perpetuis celebrabere chartis,
Res citius cedet, quam credis, prospera nobis.
Immo suos non Phoebus equos demerget in undis,
Æthere nec nigrum ducet nox humida velum.
Ni prius imperii populo concedat habenas
Adria, quas illi rapuit vi turpiter olim.
Sic ait, et Bonapars secum nova gaudia captans :
Vos, inquit, meritis jam praemia digna feretis.
Perdurate animis, et maturate tumultum.
Fatus abit citior, quo Martia munera poscunt,
Atque suas repetunt legati absolvere partes.
Interea Patres nimia feritate scelesti,

Milite qui superest, et quem servaverat ingens
Perfidies, magis et magis alta palatia cingunt,
In queis jura dabant populo decretaque Patres:
Pluribus atque armis, quam vix fieri ante solebat,
Sic magis atque magis jaciunt in corda timores.
Insuper, o pudor atque scelus! terrere paciscunt
Cum sociis de caede Patres (cum maxima rerum
Pertractaturos caperet venerabilis aula),
Ignea ut explodant magno tormenta fragore.
Hora suprema venit, qua turri edebat ab alta
Rauca nimis campana sonum, quae ex more solebat
Magnum Concilium augustas accersere in aulas.
Convenere Patres, ictus queis singulus aeris
Ingeminat, augetque metus in pectore tristes.
Ipse ego tunc vultus populi moerore refusos
Tristis ego quoque respexi, atque timoribus albos.
Nondum autem Patribus facinus, populoque patebat;
Fama sed errabat cunctas incerta per aures.
Per fora, perque vias tacito sermone ferebat
Multa inter se plebs divisis undique turmis.
Turba dolens Patres suspiria corde trahentes
Concomitatur, ubi sublimis ducit ad aulam
Scala patens, in quae simulacra ingentia Martis,
Æquoreique Dei Pario de marmore surgunt.
Signa potestatis monstrat mirabile priscae
Hoc opus in terras Venetorum, et in aequoris undas,
Et quoque magnificas, per quas excelluit alte,
Divitias monstrat, patriique decoris amorem.
Aspice quot moles surgunt opere undique pulchro,
Aspice templa etiam totam diffusa per Vrbem,
Seu cives fecere pii, seu aeraria large.
Nunc heu! nulla quidem prisci manet umbra decoris,
Larva videnda dabit consumptis carnibus ossa.
Gallica sic potuit rabies, furtique libido!
Ergo quingenti numero tringintaque septem
Convenere hebetes coeca formidine Patres.

Detinet atque domi praeceptus mente tumultus
Illos, qui vitam trepidant exponere cladi.
Deficiente tamen numero (eheu! prodita legum
Sacrilegis augusta modis gravitas! numero nam
Sexcentum saltem Patres exquirere leges)
Maxima tam loesa rerum (quis credere posset?).
Quae aetas nulla tulit, statuunt decernere lege
Tempore praesenti insidiosa potentia fraudis,
Perfidiesque tenet privatas lumine mentes,
Quin spes nulla, volente Deo, nunc luminis adsit.
Postquam introgressi, tunc moto cardine portae
Clauduntur, nullaque mora sedilia circum
Occupat, et media quoque distincto ordine in aula
Assidet ex Patribus quisquis praefulget honore.
Aspicite, o Patres, et lumina vertite circum,
Quem referunt tabulae pictae, vos cernite inustum
Pectore ferventi patriae, et virtutis amorem.
Cernite justitiae facinus: Byzantia regna
Capta videre suum Comnenum in sceptra repostum:
Haec fuit, o quondam, Venetorum gloria summa.
Cernite quid potuit pietas spectata Ziani
Parrhasiae vivis expressa coloribus artis.
Ille vir immanem Friderici fregerat iram,
Qua perculsus Alexander diademate sacro
Tempora cincta gerens nostram confugerat urbem.
Ecce urbem repetit, postquam certamine multo
Implacidos Contarenus Dux vicerat hostes,
Æmula quos acuit Venetorum Janua in arces.
Eja quoque, o Patres, oculos extollite vestros,
Quaenam longa Ducum series Vos ante paratur,
Qui patriam duxere suam ad fastigia summo
Vertice clara magis per tot certamina laudis!
Ergo tot casus, et tot discrimina rerum
Turpiter, et tantas curas reddetis inanes?
Carolus ergo ruit frustra per proelia Zenus,
Qui rigidas patriae leges et vincula passus

Pro patria strenuus generosa resumpserat arma?
Quisnam erit in tantis animoso corde Camillus?
Vel quis Tirtaeus cives in praelia Martis
Percellat, patriae vindex et Manlius ecquis?
Hei mihi! nullus adest: multos timor occupat imus:
Hos tenet impietas, auri vel sacra cupido:
In sua damna tamen bene spes illusa tetendit
Felices animae, vestro quae sanguine nobis
Huic patriae quondam fastigia summa dedistis,
Parcite, si vestros venerandos concito manes.
Vos caput augustum tumulis extollite opacis.
Cernite si quid honoris adest in pectore prisci
Nobilium, si quid patrii nunc restat amoris.
Hei mihi, nulla quidem melior sententia mentem
Sic timidam relevare potest, nec corda virilis
Exagitat virtus: sed facta silentia cunctis,
Dux lacrymis tantum, sed firmo haud corde pavescens
Surgit, et augusto diademate tempora nudat,
Illud et ambabus trepida formidine lassis
Ipse tenet manibus, Patribus dehinc talia fatur:
Res dura, et belli novitas me talia, Patres,
Efficere impellunt: nam nullam nempe salutis
Respicio ipse viam: gens Gallica viribus audax
Pertentat jugulis gladios immergere nostris.
Consului ipse mihi: trado quae serta dedistis:
Consulite hoc etiam vestrae vos tempore vitae.
Heu satis atque super Res regno publica fulsit,
Exitiumque suum nunc improba fata perurgent.
Ne fatis obsistite: nam bella, horrida bella,
Atque undas nostro spumantes sanguine cerno.
Sic ait, atque timor menti velamina pandit,
Improbus et linguis torpentia vincula nectit.
Ingens auditur fremitus resonare per aulam,
Vt maris Australis madido spiramine venti
Horrendo longinqua sonant cum murmure nobis:
Vel sicut tristi, dum nox coelo occubat atra,

Horrida tempestas sonitu tetroque fragore
Grandinis in nimbis, crebroque in fulgure mugit.
Extimuere viri fremitu, qui tetra minatur,
Extimuere viri, patriam queis perdere curae est.
Sunt aliqui illic, sedato qui murmure vellent
Pro patriae fortes profundere verba salute,
Sed fera perfidies jam jam dicentibus obstat.
Nam defixa manet dirae sententia menti,
Vt cadat Imperium, nullo auxiliante, ruinae
Nec spes tam longa in tenues vanesceret auras.
Extemplo, postquam sociis jam signa dedere
Pacta prius, pactas subito, crebroque fragore
Tunc foris ignitas tormenta explodere glandes:
Concutitur gelidis saevisque timoribus unus.
Quisque pavens pro se, atque oculis turgentibus omnes
Exsiliunt, properi et subsellia regia linquunt.
Sese inter miscent, aliis non cognitus ullus,
Impellitque, ruitque, viamque sibi anxius urget
Quisque Patrum, magnisque implet clamoribus aulam:
Nos habet, hostis habet, certe nunc occupat Vrbem.
Turmatimque ruunt portas tunc vi per apertas,
Per scalasque fugae currentes terga dedere:
Ingeminatque metum populus clamoribus urgens:
Per fora, perque vias ullo sine tramite currunt,
Maenades et furiis agitatas esse putares.
Sed prius ex aulae interea data signa fenestra.
Proditor haec dederat, quis nescio signa scelestus,
Quod ruerit Regimen, ruerit Respublica tandem
Corde Salimbenius jam haec expectabat aventi
Vexillis nixus perlongo tempore celsis,
Quae tu terna vides ante aedem surgere Marci.
Ductor erat peditum longaeva aetate gravatus;
Sed nequit annorum gravitas deflectere mores,
Nos quibus imbuimus primaevo in flore juventae.
Proditor iste favet Gallis, et moribus impiis:
Vltima fata tamen patriae commissa fuere

Huic natoque suo, sibi quem pater edidit aequum.
Heu quodnam fatum, quaenam fortuna negavit
Vt nemo patrio flagrans certaret honore!
Perfidus iste senex sociis conjunctus ovantes
Pectore laetitiae plausus concepit, et edit.
Libertas, inclamat, io, comitesque sequuntur,
Qui prope cingentes vetulum stipante corona,
Addere spem fidei pridem ore inhiante micabant,
Auditumque palam hostiles crebrescere voces.
Tunc populus, solus fuerat qui hoc tempore prudens
Grande supercilium torvus vibravit in istos,
Magna minans: tumidum nam jam micat ore venenum,
Atque audens terret rabidi violentia vultus,
Impia qua cedit crudelis gloria frontis
Dulcis amor patriae, et legum reverentia summa
Mirandis populi stringit praecordia nodis.
Atque amat, atque timet Patres, qui nulla merentur
Vincula amoris: enim populum deludere turpi
Fraude student, atque exitiis involvere lusum.
Hunc videas tristes moesto ore referre dolores,
Et videas nummos patriae profundere egenae,
Quae pretiosa sibi praebere, et sponte salutem.
Nulla quidem similem heu! populum mirabitur aetas.
Triste Salimbenius metuit, metuere sequaces
Corde supercilium vili, convertere suadet
Illico terga fugae sociis: nam concita cladem
Turmatim circumfusi populi ira minatur.
Vt fugiunt rapide linquentes dulcia mella
Vix motis manibus muscae: ut clamore trementes
Audito requiem maturant in scrobe mures:
Vt quoque pisciculi, si quid jactetur in undas,
Aut lignum, aut saxum labatur pondere in imum;
Torquentes sese fugiunt jam praepete pinna;
Sic mala turba lares trepidanti pectore quaerit.
At magis in populo patriae succenditur ardor
Namque putat Patribus patriam defendere firmum.

Clamat, io, protector io, alto murmure, Marce,
Proditor et pereat quisquis, Respublica salve.
Intonat altisonis vastus clamoribus aether.
Ipse quidem plateam repeto compulsus amore,
Quem vix hausta meo juveni dulcedo labello
Fuderat expleto in flagrantia pectora vase.
Tunc tria lustra annis numerabam juncta duobus,
Et vix tingebar fulva lanugine mentum.
Attamen ipse videns tanto tunc pectus amore
Illectum populi, lacrymas pietate refudi.
Commoveor valide, percurrit in ossibus horror
Quippe meis gelidus, coit et formidine sanguis.
O quoties gemui, et rorarunt lumina fletu,
Et mecum tacita volvebam talia mente!
O Decus, o Genitrixque Dei, quae mille per annos
In Venetos large coelestia numera spargis,
Nunc miserere tui regni, miserere tuorum,
Atque vetus maneat sancto fulcimine regnum.
Confluit in plateam cunctis ex partibus auctus
Conclamans populus magna resonante caterva.
Miles et Illyricus, qui emisso ex agmine restat,
Convenit, populoque minax se junxit, et ardens.
Pervolat in platea districtis ensibus urgens,
Quos agitat dextris querulum circum aera magnis.
Quisque Jacobinus pereat (hoc nomine signat
Qui sequitur Gallos, atque impia dogmata foedus).
Fervida turba ruit, sacras confugit ad aedes,
Sanctorum rapuit simulacra, per omne viarum
Lignea in egregium portat vexilla trophaeum.
Hinc videas Marci signum praeferre patroni,
Atque tua, alma Parens, simulacra augusta feruntur.
Certatim Ducis alta petunt penetralia, amorem
In Caput Vrbis avent sinceri ostendere inustum.
Hunc timor impellit laribus discedere, tutum
Comparat ipse locum, nec fas reperire latentem.
Acrior ira subit-primo frustrata labore;

Inde domos repetunt Patrum pietate celèbrum,
Imparis ast animi, facinus qui dirigere almum
Vellent, atque modos, queis Patria salva, docerent.
At nullum inveniunt: vili fugere timore:
Nullus in innumeris tanta pietate movetur,
Vt velit auxilium populo praebere petenti!
O pudor! o fatum! si mens non laeva fuisset
Patribus, auxilium patriae si forte dedissent,
Adria nunc stares, modo nec digitosque manusque
Morderent Veneti, qui nunc patiuntur acerbum
Frustra servitium flentes, durosque labores.
O mihi si tantae vires in corde fuissent,
Si mihi praestasset frontem matura juventus,
Consiliis dubiam plebem complexus iisdem
Audax ipse forem sortem indignatus iniquam!
I, pete, dixissem, teneas navale tot armis,
Navibus atque potens, quod adhuc et machina belli
Plurima communit, nec non tutamina tanta:
Nunc cunctis populus cito viribus occupet illud.
Attica nunc validus Venetis monumenta tuere,
Signa potestatis nostrorum clara vetustae.
Agminibus quaevis circum insula sparsa per undas
Sit munita tuis, tormentaque bellica Gallos
Pellant, nec gressu tentent accedere ad Vrbem.
O aliquis Venetos generosa excisset ad arma,
Et veterem virtutem arsissent pectora nostris!
Forsitan hoc nostras coleremus tempore leges,
Nec grave servitium, non impia jura jugarent
Nunc hominum, tali qui non sunt nomine digni.
Daemonas hoc credo coeli per inane vagantes,
Vel quos indomitos usque in sua regna rebelles
Sedibus expulerit Stygiis regnator Averni,
Qui sese induerint humano corpore foedi,
Vt Christum turbent, regumque, hominumque quietem.
Sed jam non melior populum sententia mutat,
Praecipitemque trahit sese, quo illum impetus infert.

Currunt ad voces pueri, juvenesque, senesque,
Garrula et in Gallos spargebat foemina probrum.
Conglomerati hinc atque hinc confuso agmine currunt.
Jurant ulcisci concordi voce cadentes
(Adversus fatum spes o quam vana!) penates,
Atque Jacobinos merita prosternere caede.
Hinc plateam linquit majori accensa furore
Turba animosa, ruitque, angusta ubi semita ducit
Ad nova, quae molles Patres struxere, theatra.
Vt mare ventosis agitatum flatibus, aestus
Per saxa, et cautes tollit mugitibus altis,
Litora qui exsurdant, urbes, nautasque trementes,
Si freta forte tumens nimium pertranseat arcta;
Sic instat, pellitque, urgetque per arcta viarum:
Sic sonat horrendis vulgi clamoribus aether,
Atque domus resonant altae, resonantque tabernae,
Vndique quas positas longo ordine semita monstrat.
Tecta petit populus Grisi praenomine Petri,
Invenit et clausam praesago horrore tabernam.
At quid non tentat rabidae violentia plebis?
Concutiunt, armorumque ictibus ostia crebris
Jam quassata ruunt infracto cardine terrae:
Atque lares facile gressus referuntur ad unctos.
Quis subitas eheu! furias populi explicet unquam?
Hic erat infami Gallorum labe notatus,
Et mens illius populi pervenit ad aures.
Imprudens vir erat miseris genitoribus ortus,
Venditor insicii fuerat, carnisque suillae.
Ipse ego sortitus vendentem talia patrem
A bonitate patris studui deflectere numquam,
Atque humilem, ut potui, illusi virtutibus ortum.
Nobilitas etenim summo non ducit ab ortu
Lumina clara sibi, trahit a virtutibus almum,
Qui face spectanda late praefulget, honorem.
Jamque domi inveniunt, tremulo qui corde tumultum
Audierat, sed damna sibi non tanta timebat.

Pervolat in matris gremium, qui plena dierum
Nescia degeneris stupuit nova crimina nati.
Corripiuntque truces, pavet ille, ululatque, gemitque.
Vtque tenax hedera arboribus, sata vitis ut ulmo,
Sic matris collo quaerulae indivulsus adhaeret.
Mater et infelix voces spargebat inanes:
Parcite vos vetulae, miserae vos parcite matri.
Ergo meae durae restant haec tempora vitae,
Vt furiis objectum sub mea lumina natum
Aspiciam scelerum tantorum nescia mater?
Reddite mî natum, solatia reddite egenae.
Dixerat, et flebat clamanti pectore, surdae
Sunt aures rabidi populi, clamatque vicissim.
Pertrahit, at cogit mater: perducta tumultu
Vxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat.
Ast magis ille urget, donec jam viribus impar
Vtraque detractum manibus daxaverat illum.
Quis tristes referat matris nuptaeque querelas?
Vtraque semianimis lucta, miserabile visu!
Procubuere humi, plebis calcantur ab imis
Clamantes pedibus: caecus tam despicit ardor.
Se miseram haec modo deplorat, raptum modo natum,
Nomen et illa viri toties miserata vocabat,
Et cupiunt mortem, moriendo et ponere sensus.
Abstractum ancipiti sudore sua ora rigantem,
Fletibus et calidis spargentem pectora ducunt
In plateam. Celsam consistunt ante columnam,
Æquora summus ubi Leo demiratur ahenus.
Tunc miles torvis oculis, dextraque tenaci
Arripit Illyricus, circum ferrumque retorquet
Nudatum, et clamans captivo talia fatur:
Perfide, te jacta nunc libertatis amantem,
Teque Jacobinum, Gallos et jactita amicos.
Nunc tibi praesidium donent, praestentque petenti
Francigenae, libertatis nunc germina gusta.
Improbe, si prius ipsa tamen non terra dehiscat

Nunc tibi, qui terrae non unquam es vivere dignus,
Per decus ipse meum, per sancta ego Numina juro,
Quod mihi fert animus temet supponere morti.
Jam moriatur, ait, moriatur perfidus iste,
E populo clamat confusis vocibus omnis.
Jamque minax tollit gladium necis ille minister,
Et rutilat ferrum, per spissum atque aëra mugit.
Jam feriturus erat, rupturus stamina vitae:
Cum reus exterritus gladii fulgore minacis
Ad genua exclamans magno provolvitur ictu,
Sicque ait effusus canis squalloribus ora.
Hei mihi quam possum jam nunc sperare salutem?
Heu nequeunt verba, atque preces avertere mortem!
Sed prius aethereas pereat quam spiritus auras,
Ne pigeat miserum postremo audire loquentem.
Et primum fateor tali me crimine sontem.
Heu facilem, cognosco, fefellit opinio mentem:
Ast homo perverso mutatur tempore sanus.
Francigenasque truces, fuerunt qui causa malorum,
Prosequar aeternis odiis, et probra refundam.
Atque mihi fas sit reliquam conducere vitam
Conjuge cum misera, et toties genitrice misella,
Quae quot sint nunc infandis moeroribus actae,
Quive dolor tundat, testantia Numina norunt.
Ante alios eheu! mater me semper amabat,
Dulciter et conjux socios miscebat amores.
Ah! sinite ergo, viri, miserum me vescier aura
Vitali, percurrat adhuc cruor iste per ipsas,
Quae mihi coguntur gelida formidine, venas.
Quid nece sperandum in nostra, jam quidve salutis
Venturum vobis, subeam si funera captus?
Quidve mali, misero sinitis si ducere vitam?
Sum quoque ego Venetus, primas pulmonibus auras
Exhausi, fuit haec aetas juvenilis in urbe,
Semper et urbs rectam vidit conducere vitam
Quid sceleris patuit? turpi quo crimine nostram,

Dicite veraces, mentem foedavimus unquam?
Heu! si quid patriae dulce et venerabile nomen
Forsan honoris habet, vestra et praecordia tangit;
Heu! donate dies, misero concedite vitam,
Nec, precor, in civis foedentur sanguine dextrae:
Me videat mater verso moerore reductum,
Et quoque in amplexus conjunx mihi laeta recurrat.
Sic ait, et tacuit gemitus e pectore ducens
Quo gemitu mutati animi, conversus et omnis
Impetus: haec res jam nobis non mira videtur.
Ad veniam Venetos faciles quis nesciat unquam?
Dulcia nam gestant nimium praecordia mites.
Macte animis, mortis ne te simulacra tremiscant,
Quam petis, ipse tibi vitam, populusque vicissim
Donamus, flentis fas est miserescere sortem
Conjugis, atque tuae matris miserescere planctus,
Dummodo veraces dederis de pectore voces.
Sed tamen infixum nostris modo mentibus haeret
Gallorum merita rabiae prosternere amicos,
Eruere et patriam diris de gentibus aegram.
Quisquis et ultor erit, fodiet fera pectora mucro,
Depopulemur opes, nulla pietate, domusque,
Atque viae exundent perverso sanguine cunctae,
Suppliciumque, favent qui Gallis, triste rependant.
Noscis eos, nec foeda latent te nomina, pravos
Ipse refer nobis. Donec vindicta tenebit,
Obses eris: postquam et rabies consumpta, videbis
Optatam libertatem, optatosque penates.
Dixerat, atque probat populus cum murmure densus:
Hortatur juvenem, hortatur fera nomina fari.
Tunc is, deposita tandem formidine, vitae
Spem capiens tacito et sedato pectore, fatur:
Cuncta equidem vobis, fuerint quaecumque, fatebor,
Vera, inquit: trucium jam singula nomina profert.
Nomina nodosa conscribit arundine miles,
Connotat atque domos, quos proditor incolit, omnes.

Scribitur in chartis prior ecce Georgius ater,
Alter in innumeris sequitur Gallinus, et alta
Nobilitate indignus Foscarenus adulter,
Qui pedibusque notat brevibus, demonstrat et ore
Crudeles animos, et quartus in ordine Spada est.
Perlongas scripsit series, quas ore ferebat
Captivus: scripturus erat quoque plurima miles.
Cum subito, horrendum visu! mirabile dictu!
Sibila perveniunt demissa per aequora ad aures:
Audiit et populus mugitus murmure raucos.
Sollicito et plateam tunc lumine circumspexit.
Crescebat fremitus: sua lumina tollit in aethram,
Vnde venit murmur, plebes: mirabile visu!
En super excelsa, vulgo mirante, columna
Ipse jubam quassans late Leo rugit ahenus,
Sese agitans removet plantas, caudamque minacem
Horridus in spiram, in sinuosa volumina versat.
Ploranti similis, cui jam dolor incubet ingens.
Intremuit motu tunc terque quaterque columna,
Terque solum tremuit concussum e sedibus imis,
Molis et immensae certam timuere ruinam.
Obstupuere metu, intenti simul ora tenebant,
Inque alios alii vertunt sua lumina, quidnam
Jam sibi venturum moneant nova monstra, requirunt.
Hinc dubium diversa agitat sententia vulgus.
Hic ait, et cui inest melior sententia menti:
O cives miseri, quaenam fiducia vobis?
Quaeve animos modo falsa tenet clementia vestros?
Creditis incolumen patriam? non ulla putatis
Forsitan obventura mala? ecce hostilibus armis
Dulcem Patricii patriam objectare pararunt.
Imperium deflet Leo proditione solutum,
Delapsumque nova, sortem lugetque futuram.
En cur ipse fremat, caudamque retorqueat: eja,
Imperii nunc nunc citius vos sumite habenas,
Et dominemur eis, tenuit quos nulla paterni

Cura soli, et patrium qui contempsere decorem;
Longa leves movere Patres fastidia regni:
Motaque perfidiem indignatur terra nefandam.
Alter ait dubio ceritus pectore magnis
Vocibus: O nimium faciles, qui ferre putatis
Rugitum tantum, in votis quasi, moenia starent
Nostra, foret: magna, cives, formidine fertur,
Devovet et vestram rabiem, qui sanguine terram
Civili vultis rursus maculare refusum.
Percita pro misero tellus pietate movetur.
Solvite captivum, atque virum dimittite salvum,
Ne vosmet penitus majora pericla lacessant.
Dum tamen ista anceps plebes in pectora versat,
Ecce novum (miranda fides!) miserabile monstrum
Concutit, expulsa mondum formidine, mentes:
Protinus alterius summa cervice columnae
Marmoreae oblitus formae, Stygiique draconis,
Quem premit hasta minax, Theodorus fata revolvit
Atra nimis, voces et Divus solvit in istas:
Heu quae tetra manent, quaenam fata aspera vosmet,
Quantus adest Patribus nullo solamine moeror,
Quanta movent pueris immites funera vestris
Francigenae conjurantes modo rumpere pacem,
Et vetus imperium! Veniet gens aspera nullo
Bello, terribiles aquilas, infestaque tollet
Signa: insultantes pejus terroribus addet
Supplicium, illuso naturae jure, cachinnos.
Quid non tentabit foedi violentia furti?
Cui parcet raptura manus? quae pulchra relinquet,
Quin novet in pejus, jactans se Palladis artes
Perdidicisse bonas, volventi et lumina saeclo
Se solam donasse putans? testabitur Ædes
Sacra Dei in scalas (rude opus!) mutata profanas:
Angulus et plateae deturpato ordine dicet,
Quantum degenerent priscis auctoribus artes.
Haec quoque quinque Ædes vastos delebit in hortos

Numinibus sacras immani crimine: cuinam
Quod semel indictum Superis, auferre licebit?
Aspicite, o Cives, pretioso ex aere vetustae
Frontis equos, Ædem externa qui fornice adornant,
Marce, tuam, quos, ut sic currit fama, Lysippus
Conflavit celebris: Thiridates ipse Neroni
Dediderat donum, atque Nero celso addidit arcui,
Et similes vivis quadrigas Solis agebant.
Hinc Constantinus Byzantia litora adornat,
Hippodromumque suum: tandem illos Zenus in Vrbem
Adriacam Praetor multo cum marmore transfert.
Vt domitos bello, et resonantis digna trophaei
Praemia diripiet, veterum decora alta parentum.
Sed hos Franciscus victo regressus ab hoste
Exuvias inter, redimet quas ultor, in ipso
Rite tholo statuet, vobis plaudentibus, aequus.
Ecquid? et ipsa Ducis tradent insignia flammis,
Publica scripta palam rabidi, sacramque coronam.
Itur in omne nefas: oculos offendere turpes
Stemmata sacra, rudes statuent auferre Leones,
Marce, tuos, Venetus quos fixerat ante per Vrbem.
Quae sperare dabunt? inopum patrimonia nullo
Salva modo: Patres exhaustis ruribus omnes
Lugentes fines longo post tempore avitos
Direptos cupient congestum cespite culmen.
Ast pejus Venetis immitia fata minantur;
Tempus et adveniet, cum multo milite cincta
Vrbs terraque marique fera obsidione premetur,
Atque fame sicci optabunt ad tela parati
Tormenti mutare modum, nec lethifer arcus
Osores saevo mortis discrimine habebit.
Hoc meret impietas ultro: sic volvere fata:
Et quasnam duri vires opponere vultis,
Si non cessatis vitio deducere gressus?
Sic ait, et subito cessavit in aethere murmur.
Ast populus, postquam formido pectore cessit,

Acer in adveniens vertit praecordia tempus,
Et quae flammatam tenuit sententia bilem,
Sectatur primam, nec rem perpenderat ultra,
Primaque, quae subeunt mentem, ut meliora, probantur,
Ecce locum subiti linquunt: sunt nomina chartis
Demandata satis: primum toto agmine ducunt
Tunc juvenem gemino concussum in vincla timore.
Et bene scrutantur, via ne qua fugae apta pateret.
Vis animis rediit, saevit tam nobile vulgus
Exclamans iterum atque iterum pulmone minaci,
Atque ruit rursus fervore per omne viarum.
Caecus amor patriae, rabies perduxerat acris.
Tecta Jacobinorum, ut toto gurgite in illos
Erumpat bilis, subeunt: providerat unus
Jam sibi quisque fuga: domus et viduata tacebat.
Attamen hinc atque hinc, dum pandunt ostia nullam
Clausa viam, sternuntque fores, obstacula spernunt,
Horrisono excutiunt valvas, crebroque fragore
Vectibus excerpunt validis, urgentque, teruntque.
Ferrea divellunt pandis quoque claustra fenestris,
Quaque domos scandant. Tenerum praecidere ramum
Ipse putes: robur summum, viresque ministrat
Jam furor Herculeas, atque undique funditur horror.
Quis tenebras hujus, quis tanta pericla dici,
Quis lacrymasque, metusque effusos explicet unquam?
Heu neque ego possum narrando aequare dolorem!
Pro se quisque timet, quamvis non labe notatus:
Interiora domus retinent penetralia sponsas,
Quae revocant tremula absentes modo voce maritos.
Crinibus effusis, thalamus tenet ipse jacentes,
Quae torquent corpus rigidis moeroribus aegrum.
Auxiliantur eis famulae, deflente corona
Circumstant pavidae consanguinitate propinquae,
Et tanto praestant medicamina pronta dolori.
Mater et ipsa dolet, curis agitatur acerbis,
Pro nati metuit, quem diligit ipsa, salute,

Terque quaterque vocat dilecti nomina nati.
Vndique terror adest, atque undique stragis imago,
Vndique conturbant mentem simulacra doloris,
Aëra percutiunt gemitus, suspiria, planctus.
Ergone centenos postquam gavisa per annos
Adria laetitiam pacis, sedesque quietas,
Sola dies rapiet, turbabit et otia tanta?
Heu sic fata ferunt, statuit sic Numen ab alto,
Vt ferat ista dies exordia tetra dolorum!
Hinc heu! splendor abit, charae discessit et almus
Pacis amor, coepit series perlonga malorum.
Interea bacchabatur mage triste tumultus
Fulmen, et armati componunt agmina fures.
Quaelibet et manibus cedit pretiosa supellex
Infestis, tabulae artis opus mirabile pictae
Ornamenta domus stolide discissa feruntur.
Pars raptos transfert ingenti pondere nummos,
Perque viam facilis nimio fur pondere lapsos,
Largus et ille sinit pueris, plebique legendos:
Magnificas vestes rapturis scrinia praebent.
Jamque jacent quovis neglecti in tramite libri,
Et quoque merx dives terrae delapsa jacebat:
Quisque potest impune sibi consciscere furtum:
Qui prior invenit, prior omne sibi occupat ipsi,
Quod subito populus dominorum lege novorum
In cumulum rigida cogetur reddere raptum.
Quomodo direptum studia in contraria vulgus!
Hic modus haud poterat patriae perferre salutem,
Et nihil auxilii poterat sperarier unquam.
Tanto concussi fremitu mox Duxque Patresque
Clam coëunt primi nota in penetralia nulli,
Et semel amissum nullo tunc jure resumunt
Imperium, ut gravibus possint obsistere damnis.
Fas etenim est armis tantum sedare tumultum,
Qui tandem posset populum convertere cautum
Certe Nobilium in vitas et tecta furentem.

Hoc sibi quisque timet, timet et pro civibus omnis.
Ergo ubi pauxillum trepidantia corda reliquit
Tunc timor, atque Ducem patitur proferre loquelas,
Sollicito ille dedit tales de pectore voces:
Ergo non populum bacchari impune sinemus,
Civium et expositas furiis permittere vitas,
Nostràque fas erit ignavos simulare pericla?
Nunc equidem timeo. Quamvis defendere amore
Percitus ardenti patriam et sua jura videtur;
Nosco tamen populum: varium et mutabile semper
Vulgus adest. Ergo vires afferte, priusquam
Consilium mutet, validas opponite vires.
Et facile timidi mentes eludere vulgi
Fas erit, optatam et nobis afferre quietem.
Sicque fidem videant illaesam crimine Galli,
Nec nos illorum miseros vindicta fatiget.
Sic ait, atque statim sumit Rainerius ipsi
Munera tanta sibi: citior vento exiit, atque
Arma, virosque parat, tormenta et bellica circum,
Consilio populus cauto quae spreverat expers.
O utinam populus gestasset pectora firmus
Non obtusa adeo, mens et sibi sana fuisset;
Ipse suos posset validus salvare penates,
Et modo direptas quondam cohiberet habenas!
Haud erat in fatis: scelerum delicta priorum
Quippe luenda: juvat fortis sententia nullum.
Ante, nigro quam nox tegeret velamine coelum,
Atque magis spissas horror tunc redderet umbras,
Bellica ponte super, qui excelsus jungit in ambas
Divisam partes Vrbem, tormenta locantur.
Obsedere alii gladiis angusta viarum,
Omnibus et cuspis praestat mucrone corusco
Stricta, parata neci: mittit vis ignea glandes.
Intonat horribili strepitu, assiduoque fragore
Æther ubique, magis suffunditur omnibus horror.
Vt facile Boreas pervertens turbine campos

Aerios rapido, rigidoque afflamine saevus,
Quas Auster ducit, propulsat in aethere nubes.
Vt facile accensus stipulis, quas colligit ipse
Frigore torpescens pastor, restinguitur ignis:
Vtque cadunt primo detonsae frigore frondes;
Sic quoque deficiunt in vulgi pectore vires,
Deficit atque ardor subito, qui magna minatur.
Dicite, Patricii, vos perfida, dicite, turba,
Nunc ubinam perstant conjurati agmine tanto,
Atque ubi tela scelesta virûm, gladiisque furentes,
Qui pertentabant vestrum transfigere pectus?
Surgant, ecce favent animis haec tempora saevis.
Insidiator adest nullus, sed et omnibus immo
Tela viris, animique cadunt, gladiisque remotis
Pallida distractos tenuere silentia cunctos.
Nox erat, et Venetis densas extenderat umbras,
In medioque diem pallens compleverat orbe,
Cumque die suprema tulit quoque gaudia nobis,
Volvit et in tenebris regnum, et decus illa vetustum,
Quo tam nulla diu Respublica fulserat ante.
Heu Patria infelix, stragem tibi tetra paravit
Perfidies, stolidusque timor, vecordia turpis!
Perdidit una dies, quod tot peperere labores
Per tot saecla virûm, per tot discrimina rerum.
Dum repeto noctem, quamvis nunc septimus orbis
Magnus ab excidio Solis pervolvitur, in qua
Vrbs antiqua ruit multos dominata per annos,
Quam nullus castam nondum violaverat ensis,
Quae armipotens populos plures ditione tenebat
Legibus integris fulta, et virtutibus alta:
Cum subit istius moestissima noctis imago,
Quaeque viris impune dedit fera gaudia pravis,
Labitur ex oculis perstricto pectore fletus,
Atque animus meminisse horret, luctuque tremiscit.
Concipe tu, Bonapars, nostrorum causa malorum,
Concipe laeta tuo saevus nunc gaudia corde,

Atque tuam teneat malesuada superbia mentem,
Quod Deus ipse tuis manibus concessit agendum
Vulnificum flagrum communis criminis ultor.
Forsitan eveniet, Numen convertat ut ipsum
In te, quod dederat, merito olim triste flagellum.
Experiare Deum ultorem, cui perfidia dirus
Bella moves. Ast quid? Mitem Adria respice laeto
Corde Deum: psallens mutatas aspice sortes.
Nam tibi saeclorum melior pervolvitur ordo,
Aspiciesque tibi faustos procedere menses,
Expulsamque redire fidem, et Saturnia regna
Nam nova progenies coelis demissa serenis
Aurea direptum populis donabit honorem:
Immanemque Ducem saeve capita alta ferentem
In juga digna trahet, nodisque adstringet ahenis,
Pacatumque dabit salvis virtutibus orbem.

FINIS.

21 kei

Scripta nondum edita Ab. Petri Pasinii

1. *Della letteratura antidiluviana.*
2. *Dissertazioni sopra alcune antiche lapidi.*
3. *Carmina.*
4. *Miscella: epigrammata; Inscriptiones; de duobus nummis inventis; Carmina.*
5. *Miscella: Sermones; Carmina; Commentarii historici.*
6. *Cenni sulla vita di Orazio Flacco e traduzione in versi dei Lib. II, III, IV delle Odi.*
7. *Della Repubblica di Cicerone, traduzione.*
8. *Discorsi panegirici, spiegazioni d'Evangeli, orazioni in funere.*
9. *Artis Rhetoricae elementa.*
10. *Psychologia.*
11. *Inscriptiones quae in D. Geminiani diruta aede exstabant.*
12. *Vindicta litterarum.*
13. *Merito dei primi Veneziani nella letteratura.*